




**Dictionarivm scholasticae doctrinae, : in quo & horrendos  
abusus, & multa alia ad sacram scripturam recte?  
intelligendam non inutilia, cernere licebit.**

<https://hdl.handle.net/1874/430208>



# **Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell**

## **Huybert van Buchell (1513-1599)**

**Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:**  
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:**

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnede
  - de staartsnede
  - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection**  
**Huybert van Buchell (1513-1599)**

**More information on this collection is available at:**  
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:**

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

SARCIERII

Doctrina  
Scholastica.

F oct.

64

U.B.U.






F oct.


64


1882



Miscellanea Theologica

Octavo n°. 64.





DICTIONARIVM  
SCHOLASTICAE DOCTRINAE,  
in quo & horrendos abusus, &  
multa alia ad sacram scripturam  
recte intelligendam non  
inutilia, cernere  
licebit.

AB ERASMO SARCIERIO EX VA-  
rijs autoribus, longaq; obseruatione  
collectum.



Ex donat-  
yut - a Bum

BASILEAE, M. D. XLVI.



ERAS. SAR CERIUS CAN-  
DIDO LECTORI S.

EN damus tibi, candide Lector, DICTIONA-  
RIV M scholasticæ doctrine, quod ex uarijs auto-  
ribus, longa obseruatione collegi, non alias ob cau-  
fas, nisi ut aliqua ex parte aduersarijs regni CHRI-  
STI mederer, qui vel quicq; abusus rerū spiritua-  
lium per scholasticos doctores irrepsisse negāt: imò  
qui temere affirmare audent, nos multorū impio-  
rum abusuū impugnatores, calumnijs tantum a-  
gere, & innocentes grauare inuidia. Deinde, quò  
iuuenibus theologis inseruirē, quos prorsus fugit  
vocabulorū scholasticæ doctrinæ notitia: vnde, sæ-  
pe in certamē disputationis ab aduersarijs vocati,  
ne quidem eorum vocabula intelligunt: sæpe etiā  
inter legendū, illa dum se offerunt, minus nota in-  
cutiunt lectori fastidiū. Deinde, ne frustrarem theo-  
logos sinceros, de qualicunq; illo fructu, quem ta-  
men ex hoc Dictionario percipere possunt: cui nō  
contemnda quoq; bona ad scripturā uerè intelli-  
gendam insunt, hęc eos amplecti ac sequi oportet,  
reliqua scienter preterire, aut pro opportunitate  
illis uti propter aduersarios. Vale.

Dillenbergæ, Anno M. D.

X L V I . Calend.

Martij.

DE LITERA A.



B Y S S V S accipitur dupli-  
ter: uno modo materialiter, pro  
ipsa profunditate impenetrabi-  
lis maris Oceani: uel pro immen-  
so pelago, uel spelunca profun-  
dissima aquarum latitantium, vnde fontes & flu-  
mina procedunt. Et capitur Abyssus metaphori-  
cè pro peccatis. Tertio pro diuinis iudicijs.

Absolutio quædam est sacramentalis in foro con-  
scientie, quædam iuridicialis in foro ecclesiæ: item  
quædam est satisfactoria, quædam deprecatoria.  
Absolutio peccatorum est duplex: altera reconcili-  
lians Deo peccatorē, & hæc nō potest fieri de u-  
no mortali, & nō de alio. Hæc absolutio fit à deo  
in instanti contritionis. Altera est quò ad ecclæ-  
siā, quæ remouet causā separationis ab ecclæsiā.  
Absolutum, vno modo, ut diuiditur contra respe-  
ctiuū, & sic dicitur positiuè: sicut dicimus, quod  
substantia est absolutum prædicamentum, sed ad  
aliquid respectiuum. Secundo dicitur absolutum  
pure priuatiuè, scilicet pro cōcepto abstracto ab  
absoluto & respectu: sicut si abstrahimus ens fi-  
nitum à substantia & relatione, tunc ens finitum  
nec est absolutum, nec est respectiuum, loquendo  
positiuè, sed solum dicitur priuatiuè absolutum:  
quia non est actus respectiuū, sed potest esse. Ter-  
tio dicitur absolutum pure negatiuè, pro eo cui

## DE LITERA A.

cōuenit sic esse, ad se, quod nullo modo ad aliud:  
et sic in diuinis diuina essentia est ab soluta, et  
quidditates substantiae et qualitatis in primo si-  
gno, sicut humanitas.

Abstinentia est virtus, que importat subtractio-  
nem cibi et potus regulatam ratione, per quam  
carnis vitia reprimuntur.

Abstractum dicitur sola forma in se, sicut castitas  
albedo et c. Concretū significat formā cum sub-  
iecto, ut castum, album, et c.

Actus pro operatione accipitur, sed plerūq; inter-  
iori. Est autē duplex actus, uoluntatis, et im-  
peratus. Voluntatis est actus elicitus, qui est velle  
vel nolle. Imperatus, est actus cuiuscunq; po-  
tentiae, scilicet intellectus, sensus, vel motus ad  
voluntatis imperium, quod est velle, causatus,  
vel conseruatus, vel productus. Actus volunta-  
tis elicitus est intrinsecè virtuosus aut vitiosus, et  
ideo mutari non potest, vt primò sit virtuosus, po-  
stea virtuosus, vel è cōuerso saltem naturaliter.  
Sic attritio et cōtritio sunt actus elicti, nec vnuus  
potest fieri alter, nec ambo partes vnius. Actus  
imperati sunt extrinsecè et accidentaliter vitiosi  
et virtuosi, et denominatione extrinseca. Hi  
possunt mutari, vt primò sint vitiosi, postea vir-  
tuosi, et è conuerso: sicut actus vindicandi pecca-  
tum, puta punire peccatum, uel sustinere poenam  
infictam,

DE LITERA A.

inflictam, est actus imperatus.

Actus voluntatis ut sit rectus, requiritur quod fiat conformiter sue regulæ, que est ratio.

Actus liberi in libera voluntate sunt triplices: quidam enim sunt, qui immediate ab ipsa uoluntate, & à quibus anima rationalis denominatur voluntas, sicut sunt actus volendi, & isti sunt primi & propriissimè liberi. Quidam sunt actus intelligenti, qui sunt ab intellectu mediante actu volendi & nolendi, & à quibus anima denominatur intellectus: sicut sunt actus credendi articulos fidei. Quidam sunt actus potentiarum sensituarum, imperati à voluntate libera, sicut currere, ire ad ecclesiam.

Actus humanus, est actus hominis deliberatius, id est, actus liberè productus cum certa apprehensione obiecti: unde casualis fricatio barbe, aut motus manus aut pedis factus non à proposito, non dicitur humanus.

Actus virtuosus, est actus bonus, ad quem tria requiruntur: operatio, quæ fit sciens, non casu aut ignoranter, sed sciens ex ratione: electio libera, vel operatio per liberam electionem, & firma & immobilis operatio.

Actus conformis est, qui elicetur, sicut recta ratio dictat eum esse eliciendum, si inesset, licet non insit de facto apud omnes: sicut in hunc actum, non est

## DE LITERA A.

elicitus vel imperatus conformiter rectae rationi, et propter hoc quod ratio sic dictauit fiendum, neque difformiter contrarie, licet difformiter contradictorie, ut si quis actum aliquem elicit vel imperat, non quia fieri debere recta ratio dictauit nec oppositum, sed quia ita facere placuit. Secundo modo accipitur actus indifferens, ut est actus primò indifferens, nec bonus nec malus moraliter, potens idem numero fieri bonus et malus, non simul, sed successiuè, ut est actus primò non ordinatus in fine aliquam ordinabilis, tamen in finem bonum, etiam in finem malum.

Actus quidam est exterior, quidam interior. Exterior nullam propriam bonitatem moralem habet, propter quam magis imputatur voluntati, quod solus interior. Actus interior cum exteriore coniunctus, magis est meritorius et demeritorius.

Actus iustitiae, est actus voluntatis elicitus secundum dictamen rectae rationis propter honestatem vel utilitatem talis operis, sicut propter finem.

Actus bonus vel malus dicitur tripliciter: ex genere, ex circumstantia, et ex principio meritorio.

Actus bonus è genere est, qui elicetur circa debitam materiam sine alijs circumstantijs; ut velle dare eleemosynam de suis bonis.

Actus bonus ex circumstantia, est actus elicitus circa debitam materiam cum omnibus circumstantijs

tijs

## DE LITERA A.

tis, secundum quas recta ratio dictat eliciendum propter honestatē actus, vel propter conseruationem naturae, pacis &c. Sed hic actus sic elicitus non est meritorius, quia non est ordinatus in Deum tanquam finem, verum tantū moraliter bonus est.

Actus meritorius bonus est, ut dum actus elicetur secundum rectam rationem, quantū ad materiam, & omnes circumstantias inesse debitas propter Deum tanquam propter finem, secundum inclinationem charitatis & gratiae inexistentis: hic actus est deo gratus. A contrario mali sunt quidam actus, ex genere, ex circumstantia, & ex principio meritorio.

Actus positivus est, quando opponitur priuatius actui. Et nullus est actus positivus, cui essentialiter annexa est malitia.

Actus exercitus, est actus signatus, hoc est, frequenter est: frequenter enim quæ signatorū sunt attribuuntur signis.

Actus suspensius est quoddā velle, quia velle non elicere, ubi quis possit: id quod fit, quando quis volens se suspendit per actum positivū, quia non vult elicere, vel quia imperat intellectui, ut magis inquirat de obiecti conuenientia & bonitate, vel ex propria libertate.

Actus meritorius est actus à voluntate liberè pro-

## DE LITERA A.

cedens, siue elicitus, siue imperatus, ad retributio-  
nem alicuius premij acceptatus: vel est actus  
Deo speci. sliter acceptatus, tanquam scilicet di-  
gnus premio reddendo pro illo actu.

Actus formatus dicitur ille, qui Deum finē habet,  
id est, qui ordinatur in Deum tanquam in finem  
vltimum & bonum in se summū: & dicitur for-  
matus, quia elicetur ex charitate.

Actus fidei, est credere: actus spei, est sperare &c.

Actus gloriosi siue beatifici sunt, qui deum obiectū  
habent, & quibus anima vnitur Deo, tanq; spon-  
sa sponso. Ad hos actus tria requiruntur: perfe-  
cta visio, perfecta dilectio, perfecta Dei fruitio.  
Acedia est tædiū interni boni, quod ex genere suo  
veniale est peccatiū, quia non contrariatur cha-  
ritati, sed eiusdem feruori.

Adoratio aliquando pro qualibet veneratione  
accipitur: & sic tres sunt eius species: theosobia  
seu latria, dulia, & hyperdulia. De his speciebus  
infra secundum ordinem alphabeti.

Agens rationale, & secundum propositum, idem  
sunt, & vocatur liberum.

Agens irrationale, & non secundum propositum,  
quoq; idem sunt, & vocatur necessarium.

Agere liberè, est agere per voluntatem.

Agere naturaliter, est agere non per voluntatem:  
sū filius producitur naturaliter, & spiritus san-  
ctus

DE LITERA A.

*Actus liberè, quia spiritus sanctus producitur per modum voluntatis, filius non.*

*Agere etiam sēpe ponit pro facere & creare.*

*Agere rectè & moraliter, est agere conformiter dictaminis rationis.*

*Agere principaliter uno modo excludit omnē causam superiorē agentem: altero modo intelligitur per formam propriam & intrinsecam agentis.*

*Alius & aliud differunt: alius respicit suppositum, aliud essentiam.*

*Alteratio est per quam alicui communicatur esse secundum, id est, accidentale: & ad hoc quod ali quid alteretur, non oportet quod ipsum de novo sit, postquam non fuerit.*

*Amor rationalis, vel intellectivus, vel arbitrius, vel liberalis, est actus voluntatis, quo libere acceptat obiectū per intellectū sibi presentatum.*

*Amor effectivus, est actus voluntatis elicitus, quo volo alicui bonum.*

*Amor effectivus, est actus à voluntate imperatus, quo procuratur bonum illud, quod amato optatur, aut habitum conseruatur, sive id fiat verbo, sive opere exteriore.*

*Amor amicitie, est amor quo volo alicui bonum propter ipsummet amatum, sine relatione eius in aliud: ut si volo alicui sanitatem &c. non referendo in me, nec attendendo, quod is cui volo vl*

## DE LITERA A.

terius potest mihi vel aliij proficere.

Amor cōcupiscentiæ est, quo aliquid amat propter aliud delictum.

Amor complacentiæ, est velle alicui bonū iam habitu, siue propter ipsum, siue propter aliud: hoc modo amat eū, cui cōgratulatur in bono adeptō.

Amor desiderij, est actus voluntatis, quo alicui volo mihi vel alteri bonum absens, siue propter se amatum, siue propter aliud.

Amor sui est duplex: quidam naturalis: hic nec est laudabilis, nec vituperabilis: ut si quis absolute scipsum amat, id quod est naturale. quidam ordinatus, qui concordat rationi, cum quis diligit in se imaginem, et vult sibi ipsi bonum.

Amor Dei est duplex, mediatus et immediatus.

Amor mediatus est, quo amo proximū propter Deum. Immediatus est amor Dei, terminatus in Deo præcise, quo Deus in se et propter se diligitur, non creatura.

Amicus dei dicitur aliquis dupliciter: uno modo ab habitu vel actu charitatis vel gratiæ animæ ipsius informante: alio modo denominatione extrinseca ab ipsa diuina voluntate acceptâ: vel quia diligit Deum, vel diligitur à Deo.

Anathema est excommunicatio maior.

Analogum est quod analogicè dicitur, quando idem nomen eadem ratione prædicatur de pluribus

## DE LITERA A.

bus, tamen per prius de uno, quam de alio &c.  
Animam esse extraduce, uno modo est animam  
esse decisam ab anima seu forma generantis: aut  
animam secundum aliquam sui partem in ea reali-  
ter manente, fuisse in principio suo productuo:  
illo modo corpus animalis per seminis transfusio-  
nem propagatum, cuius seminis materia manet in  
corpore propagato, dicitur esse extraduce, simi-  
liter totum compositum propter eius partem, quae  
est corpus. Secundo modo aliquid esse extradu-  
ce, est aliquid educi de potentia materiae, concur-  
rente aliqua virtute naturali effectiuè decisam à  
principio generante: illo modo anima bruti sen-  
situia est extraduce, quia educitur de potentia  
materiae virtute seminis à principio generante  
decisi actiuè ad productionem animae brutalis  
concurrente.

Animam esse gratam, vel charam, vel acceptam deo,  
est eam esse in talis statu, in quo (nisi per mortale  
peccatum delinquit) deus uult ei dare uitam aeternam.  
Antichristus erit homo, qui veniet ante iudicium:  
nasceretur de tribu Dan ex Babylone, lubricus &  
infelix turpitudine vitiorum, cuius peccata eius  
suggestione peccata computabuntur: dicetur fi-  
ctione sanctus, demonum insuper ministerio, ex  
moniali seu meretrice generabitur per incubum:  
corpus eius intrabit Satanus, ad informandum, ad

## DE LITERA A.

inhabitandum & ad instigandum ad opera mala: preterea erit rex potentissimus et monarcha auxilio Gog & Magog, ad seducendum homines signis & prodigijs &c.

Appetibile est quod appetitur.

Apostasia, est defectio vel à fide, vel à clero, vel à monasterio.

Approbare, est aliquem dignum indicare vita æterna.

Appropriatio, est alicuius prædicati communis tribus personis vni soli attributio, propter conuenientiam illius prædicati cum proprio illius persone, vel propter erroris amotionem ab intellectu viatoris: ut, amor conuenit cum proprio spiritui sancto, ideo appropriatur ipse.

Appropriatum & propriū sic differunt: propriū est quod vni soli vel ad plus duobus conuenit: appropriatum est semper commune tribus.

Articulus fiduci est ueritas reuelata in se uel in suo antecedente, pertinens ad religionem: & dicitur articulus fidei, quia arctat nos ad credendum explicitè vel implicitè.

Attritio est imperfecta cōtritio seu displicētia, nō sufficiens ex parte poenitentis ad remissionē peccati uel propter obiectū, quia non est de omnibus peccatis, vel quia ordinatur ad finē dishonestum, vel quia caret circumstantia vltimi finis, uel alia circum-

## DE LITERA A.

circumstantia requisita ad actum perfecte moraliter bonum.

Auaritia dicitur generaliter quilibet appetitus in ordinatus boni utilis.

Auertere à Deo, est odio habere vel inuidere: converti ad Deum, est ei charitate adhaerere.

Auersio importat contemptum Dei, ergo est peccatum mortale, non veniale.

Aureola est gaudium quoddam de operibus à se factis, quae habent rationem victorie excellentis.

Sunt autem tres aurcolæ: una doctorū, alterū martyrum, tertia virginum.

Aurea est gaudium de Deo, & debetur victorie communi.

Auris Dei, est potentia qua exaudit Deus, non membrum corporeum.

## DE LITERA B.



APTIZARI iterum, & baptizari iterato, differunt. Iterū baptizatur, qui post primam ablutionem secundō abluitur, siue prima ablutio fuerit verum baptismus, siue non, scilicet tantum exterior ablutio. Iterato baptismus baptizatur, qui post uerum baptismus receptum secundō baptizatur.

Baptismus sacramentalis, est lotio hominis uiato

## DE LITERA B.

ris nō dissentientis, facta in aqua elementari, fluida ab alio, simul formam debitam cum intentione debita proferente.

Baptismus flaminis vel poenitentiae est contritus cordis aut preparatio sufficiens ad gratiae infusionem, per quam aliquis de congruo meretur remissionem peccatorum. Hic baptismus solus est iterabilis.

Baptismus sanguinis est martyrii pro Christo seu iustitia susceptum, dummodo non fuerit contemptus baptismi, sed impossibilitas suscipiendi.

Baptisma verum dicitur, cui nihil deficit requisitum ad esse sacramenti, & quod imprimit characterem.

Beatitudo est optimum bonum hominis.

Beatitudo duplex est, patriae & viæ. Beatitudo patriæ uno modo accipitur pro operatione intellectuali optima secundum speciem, qua scilicet obiectum beatificum diuina essentia nude & immediate ac perfectè attingitur, siue illa sit visio clara diuinæ essentiæ, siue fruitio: nō enim ab iniuice separantur. Aliter accipitur beatitudo patriæ, pro statu hominis intellectualis naturæ optimo secundum speciem, omne bonum tam essentiale, quam accidentale. Beatitudo viæ quoque accipitur dupliciter: uno modo pro operatione seu dispositione perfecta, qua quis disponitur in via ad beatitudinis patriæ consecutionem: secundo modo accipitur pro mundana ac temporali prosperitate.

## DE LITERA B.

Beatitudo materiae est, quæ est in hac via.

Beatitudo præmiatoria est, quæ est in patria.

Beatitudo obiectua, est obiectum beatitudinis formalis, est summum bonum, scilicet Deus glorus; & dicitur beatitudo increata.

Beatitudo formalis, est perfectissimus actus, quo anima unitur obiecto beatifico, scilicet clara uisio, fruitio, & tentio.

Beatitudo subiectua, est natura beatificabilis : licet hæc impropriissime dicatur beatitudo, & verius diceretur beata.

Beatificabile dicitur, quod potest beatitudinem consequi, vel quod potest beatificari, ut homo.

Bigamia, est defectus ex secundis nuptijs.

Blasphemia est, quando aliquis Deo quid tribuit, quod ei non conuenit.

Bonitas naturalis est quæ conuenit rei in quantu est ens positiuū secundum gradum suæ entitatis, secundum quam res est melior, quæ est essentia liter perfectior.

Bonitas ex genere est, quæ conuenit volitioni, ex hoc quod transit super obiectum conueniens tali actui secundum dictamen rectæ rationis: sic omnis sumptio cibi potentis naturaliter nutritre, est bona ex genere.

Bonitas ex circumstantia siue uirtuosa, est quæ conuenit actui ex hoc quod elicetur à uoluntate se-

## DE LITERA B.

cundum omnes circumstantias, quas recta ratio dictat, sibi debere competere in eliendo.

Bonitas gratuita, siue emeritoria, siue theologica lis, est quae conuenit actui ex hoc, quod elicetur virtuose et conformiter principio merendi, quod est gratia siue charitas: hoc est, actus bonus meritorie est actus virtuosus, elicitus a voluntate secundum inclinationem charitatis sibi inexistentis.

Bonum maius aliquid potest dici dupliciter: aut intensius, ut puta quia plus Deo placet: aut extensius, ut puta quia pluribus prodest.

Bonum arduum est cuius assentio est difficultis.

Bonum summum uno modo dicitur simpliciter: et sic sola diuina bonitas est summum bonum, puta in genere delectabilium ipsi delectato formaliter inherenterum.

Bonum increatum primò dicitur in quo omnia praexistunt, ex quo habet rationem omnia continentes. Secundo est bonum increatum, ex quo omnia subsistunt, ex quo habet rationem omnia efficiens et conservantis. Tertio est bonum increatum quod omnia appetunt, ex quo habet rationem ultimi finis.

Bona ecclesiæ dicuntur omnia que intuitu ecclesiæ, vel de facultatib. ecclesiæ quisquam acquisivit.

Bona corporis sunt, ut pulchritudo, sanitas corporis.

Bona

## DE LITERA B.

Bona spiritualia intelliguntur bona animæ, quæ  
animæ conueniunt.

Bonorum animæ quædam sunt essentialia animæ,  
quæ ab anima separari non possunt, ut sunt po-  
tentiae animæ, vires naturales &c. Quædā sunt  
accidentalia, & sunt operationes & habitus in  
potentijs animæ acquisiti, tam intellectuales, q  
morales. Sunt & dona gratiae à Deo infusa: h.ec  
enim assunt & absunt animæ, item acquiruntur  
& corrumpuntur.

Bona fortune dicuntur, ut sunt diuitiae, honores.

## DE LITERA C.



A L I X à calore dicitur, quia ca-  
lore charitatis accedit.

Character est signum spirituale, à  
Deo solo animæ impressum, in su-  
sceptione initer abilis sacramenti, manens indele-  
bilter de lege communi. Hic character imprimi-  
tur in tribus sacramentis, baptismi, confirmatio-  
nis, & ordinis.

Charitas est rectissima animi affectio, qua diligi-  
tur deus propter se, & proximus propter Deū.  
Et haec triplex est, increta, infusa, & acquisita.  
Charitas alias sic definitur: Charitas est habitus  
supernaturalis, inhærens formaliter naturæ be-  
tificabili, per quem ipsa acceptatur à deo ad uitā

## DE LITERA C.

Eternā, tanq̄ digna tanto prēmio, & per quem  
ipsa est amica Dei, & sibi grata & chara, & per  
quem actus eius elicitus secundum inclinationē:  
talis habitus est meritorius vitæ æternæ. Increa-  
ta est ipse Deus. Est autē charitas increata volun-  
tas diuina, sine qua nullus est Deo gratus vel acce-  
ptus, nec actus quicunq; meritorius. Infusa dici-  
tur illa, que ab increata charitate diuinis influxi-  
bus solū in voluntates aut angelicas, aut nostras  
mittitur, hoc est, à Deo infunditur: & habet hęc  
tria nomina: dicitur infusa, quasi intus fusa: effu-  
sa, quasi extra fusa: & diffusa, quasi de intus fu-  
sa. Acquisita est que ex dilectione Dei frequen-  
ti acquiritur ex naturalibus, quā etiā gentiles ha-  
bere possunt. Charitas creata sumitur dupliciter:  
uno modo pro habitu quodā absolute infuso,  
et sic nō est nomine cōnotariū, sed absolute signifi-  
cat illā qualitatē, & sic aliquis potest esse charus  
sine charitate. altero modo sumitur pro termino  
cōnotatiuo, ut est abstractū illius cōcreti charus,  
ut scilicet cōnotet aliquē esse gratum Deo, & sic  
sine charitate nemo potest esse charus Deo.  
Charitatis gradus tres sunt: charitas incipiens, cha-  
ritas proficiens, & charitas perfecta.  
Caro accipitur dupliciter: aliquādo dicitur homo  
exterior, carnalis, sensibilis, cōprehensibilis &c.  
& sic comprehendit carnem cum potentia ani-

DE LITERA C.

mæ sensitiue: & hoc modo propriæ est subiectum concupiscentie carnalis. Alio modo dicitur caro pars hominis constitutiua: sic concupiscentia non est in carne, nisi dicatur inesse sicut in causa.

Carnale primo dicitur à carne secundum naturam carnis: secundò dicitur à carne secundum quod est vitium. Casus fortuitus est repentinus rei eventus, qui nec prævideri potest, nec cui resisti potest: ut incursum hostium &c.

Cassum, quod frustratur suo effectu, que intendit facere: unde nulla Dei voluntas potest cassari. Castitas est libidinosorum cupiditatum dominatrix, cuius affectatrix est virginitas. Huius tres species: castitas virginalis, matrimonialis, & vidualis.

Catholicus est qui credit implicitè vel explicitè actu vel habitu omnia que pertinent ad fidem orthodoxam formatam vel informem: unde parvuli baptizati sunt censendi catholici habitu.

Causa uno modo accipitur pro re ad cuius positio nē ponitur aliud, siue ad cuius esse sequitur aliud tanquam effectus: sic in prædestinato vel reprobatō nō est causa prædestinationis vel reprobationis &c. Et est duplex causa, mediata & immediata. Mediata est causa causæ: ut Abraham dicitur causa Iacob nepotis. Immediata est, qua posita, alijs circumscriptis, ponitur effectus: vel qua non posita, omnibus alijs positis, non pa-

## DE LITERA C.

nitur effectus.

Causa totalis est, quæ posita, omnibus alijs circumscriptis, potest effectus sufficienter ponи: & hęc dicitur causa sufficiens. Vel accipitur pro causa præcisa, quæ non habet aliquid sibi concausans. Causa partialis est, quæ cum alia causat effectum: vnde Deus producens a sinum cum causa secunda, est causa partialis.

Causa prima est, quæ à nulla alia est causata, & quilibet alia est causata ab ea, vel immediate, vel mediate.

Causa principalis dicitur quatuor modis. Primo, per exclusionē causæ superioris agentis: illo modo sola causa prima est principalis. Secundo modo dicitur tantum suppositum agens per aliquā sui partē: & pars per quam totum agit, dicitur instrumentalis; sic totus homo dicitur causa principalis visionis, oculus verò instrumentalis. Tertio modo dicitur causa quæ attingit effectū principalem, secundum aliquam præuiam dispositiōnem. Quarto modo, quæ agit per formam propriam intrinsecam.

Causa instrumentalis est, quæ non agit per formā propriam, sed tantum per motionē alterius mouentis &c.

Causa efficiens est, quæ est propriè effectiva, aut quæ disponit, aut quæ excitat.

Causa fi-

## DE LITERA C.

Causa finalis est illud, quo agens mouetur ad agen-  
Causa per accidens est illud, quod causat (dum.

per aliud de eo distinctum. Sic anima intelligit  
per corpus, ignis calefacit per calorem.

Causæ essentialiter subordinatae sunt, quarum po-  
sterior dependet à priore in causando, & est im-  
perfectior ea, & simul requiriatur ad causandum;  
oppositum est in accidentaliter ordinatis.

Causa sine qua non, est qua posita, aliud ponitur  
aliunde, quamvis secundum eundem, idem uidea-  
tur esse causa per accidens. In naturalibus non  
datur causa sine qua non, sed tantum in volunta-  
rijs. Sic sacramenta sunt causa gratiæ sine qua  
non, et si non creent gratiam.

Cœlum aëreum dicitur regio inferior aëris.

Cœlum æthereum regio aëris superior.

Cœlum olympium dicitur inferior regio ignis, ab  
altitudine cuiusdam montis, cui nomē est olympus.

Cœlum stellatum dicitur aggregatum ex septem sphæ-  
ris planetarum & firmamento.

Cœlum crystallinum est primum mobile.

Cœlum cœmureum dicitur & cœlum igneum, im-  
mobile, locus sanctorum & beatorum, à princi-  
pio creatus, & statim angelis repletus.

Censura ecclesiastica comprehendit sub se interdi-  
ctum, suspensionem & excommunicationem.

Ceremoniæ sunt opera exteriora ad cultum dei

DE LITERA C.

pertinentia.

Certitudo est firmitas adhæsionis virtutis cognitivæ ad suum cognoscibile.

Certitudo quædā patriæ est, ubi est certitudo tētioris euacuans expectationē & timorē: quædā est certitudo uiæ, quæ est certitudo expectationis mixta timore: quia quilibet labi potest, quandiu est viator. Est & quædā certitudo media, quæ est in purgatorio, & est certitudo expectationis.

Certitudo est quædā speculationis, quæ respicit intellectū: quædā adhæsionis, quæ respicit ipsū affectum.

Certitudo est quædā absoluta, quædā cōditi-

onata: de his loquendū ut de duplice necessitate.

Certitudo naturalis est, cui quis assentiendo per potentiam naturale falli non potest: talis est certitudo principiorum motorum per experientiam, & conclusionem ex eis demonstratarum.

Certitudo supernaturalis est illa, cui assentienti nullus falli potest per quamcunq; potentiam: hæc à solo Deo est, quantum ad veritates contingentes.

Certitudo moralis est, quæ habetur ex probabilitibus coniecturis grossis & figuralibus, magis ad unam partē quam aliam inducentibus seu persuadentibus: & hæc est etiam certitudo ciuilis.

Circuncisio est signaculum efficax curationis ab originali, permanens in carne institutum à Deo, determinans Israël à gentibus.

Circumin-

## DE LITERA C.

**C**ircumincessio est qua dicitur, quod vnuſ eſt in alio, et e conuerso: uel eſt quædā inexistētia actua lis, qua aliquid dicitur inexistere alicui, quod eſt realiter distinctum ab eo per intimā præſentialitatē et cōsubstantialitatē idētificā; et hoc propriè et perfectè in ſolo deo eſt, quia circuminfeſſio in eſſendo ponit diſtincſionē ſimul & vnitatē. Et quoniā in ſolo Deo eſt vnitas cū diſtincſione, ita quod diſtincſio eſt inconfuſa & vnitas indiſtincta, hinc in ſolo Deo eſt circuminfeſſio perfecta.

**C**ircumſtantia dicitur illud, quod eſt extra eſſentiā actus, in aliquo tamen modo ipſū attingens, aut quantū ad eſſentiām actus, aut quantum ad effectū, aut quantum ad cauſam.

**C**laus à corporalibus ad ſpiritualia translata, eſt illa virtus, per quam obſtaculum, ut eſt peccatum, remouetur, ſive per quam excluditur, vel includitur: non aliter atq; in corporalibus clavis eſt instrumentum ad remouendū aliquod obſta-

**C**laues ſpirituales quibus cœlum ap- (culum.  
ritur ſunt variae: una eſt ſana doctrina, altera eſt poenitētia, tertia eſt ſanguis Christi & pœna, quarta eſt ipſa potestas collata à Deo ſuperna-  
turaliter ſacerdotali dignitati.

**C**laus ſpiritualis eſt potestas iudicandi, id eſt, ſolu-  
uendi & ligandi, qua dignos recipere, indignos  
excludere debet à regno Dei ecclesiasticus iudex.

## DE LITERA C.

Et potestas illa est triplex: principalis præcellētie, non tamen principalis, et clavis ministerij seu ministerialis. Principalis clavis spiritualis, est solius Dei secundum diuinam naturam, quæ per propriam essentiam aperit et claudit, ac impedimenta, scilicet peccata, et reatum poenæ dimittendo remouet. Secunda non principalis, sed tamen excellentiæ, accepta à superiore cum vniuersalitate causarum iudicandarū, propriè est solius Christi secundum humanam naturam. Tertia potestas, scilicet ministerij, particularis est, qua spectat ad causas cognoscendas, et qua ministri secundum legem dei iudicant regnū cœlorum esse aperiendum.

Clavis errans dicitur, quādō sacerdos abutitur clavē. Potest verò vtraq; clavis errare, potestatis et scientiæ.

Clavis scientiæ est, qua discernitur dignus ab indi-  
Clavis potestatis, est clavis sententiandi. Cgno.  
Clementia est extenuatrix poenarum.

Clericus dicitur quasi sorte electus, nomen primū ab Apostolis consecratum, qui sorte elegerunt. Dicuntur autem ministri ecclesiæ clericī, quia dominus fons eorum est.

Cogitatio est imprudens anime obtutus circa sensibilia, ad euagationem pronus.

Cognitio, idem est quod notitia, et est duplex:  
quædam

## DE LITERA C.

quædam est distincta, quædam confusa.

Cognitio rei distincta est, qua quicquid est cognito essentiali, patet potentiæ: vnde distincte cognoscari aliquid est, quando nihil eius latet.

Cognitio confusa est, qua aliquid esse entiale vel intrinsecum obiecto patet potentiae, & aliquid latet.

Cognitio intellectiva prima, est cognitio singulare rei sensatæ, synonyma sensationi interiori, quæ interius uocatur fantasma.

Cognitio certa est, qualis est cognitio fidei, quæ habetur per revelationem.

Cognitio evidens est, quæ habetur de per se notis, aut ex talibus demonstrabilibus, uel notis per experientiam præsupponente notitiæ intuitam rei.

Cognitio coniecturalis, quæ habetur per signa non simpliciter certa & infallibilia. Sic gratia nobis inesse coniecturaliter scire possumus, quia plura sunt signa, quibus coniecturam habere possumus, openè certitudinem inexistens gratiae.

Cognitio rerum in proprio genere est duplex, infusa & acquisita. Infusa cognitio est, quæ Deus immediate causat in intellectu alicuius, non concurrente obiecto & potentia intellectiva istius, in quo producitur effectuè. Acquisita cognitio est quam dicit potentia cognitiva cum obiecto secundum ordinem naturæ institutæ, non concurrente speciali concursu Dei.

## DE LITERA C.

Cognitio diuinitatis est duplex: una est per signa effectus, altera in sua forma et essentia.

Cognitio anime separatae est, qua ipsa anima extra corpus aliquid cognoscit.

Cognoscibile dicitur omne id, quod potest terminare actum cognoscendi, vel actualem cognitionem, uel quod potest cognosci a potentia sensitiva.

Complacentia est quies voluntatis in re volita.

Comprehensor dicitur ille, qui est in termino, et opponitur viatori. Christus fuit comprehensor et viator.

Communicatio idiomatum in Christo, est mutua prædicatio concretorum uel prædictorum utriusque naturae de se inuicem, et de supposito in his subsistente.

Conceptus entis est primus omnium conceptuum, quos concipit primus, demus sit ad intra, sit ad extra. Ad intra quidem de filio: Ex utero ante luciferum genui te. Hic ens principium de principio.

Conceptus entis in uniuersali rerum utero (sicut et amor comitans ad concipiendum) multiplex inuenitur, scilicet diuinus, angelicus, rationalis, animalis, vitalis et c.

Conceptus simplex primus est inter omnes conceptus, tam in deo, quam in creaturis.

Conceptus indistinctus est, qui non est rei in se, qui secundum se totum uel eius partem repræsentat aliud

DE LITERA C.

aliud ab ipsare.

Conceptus quidditatiuus, est conceptus supponens pro re ipsa, & pro nullo alio, nisi pro eo quod est illa res, nihil conotando extrinsecū rei. Sic conceptus differentiæ videtur esse quidditatiuus, quia prædicatur primo modo de specie. Conceptus quidam quidditatiuus est, qui non est connotatiuus, qui significat essentiam rei, sine connotatione cuiuscunq; : & sic conceptus quidditatiuus non distinguitur contra absolutū, scilicet connotatiuū. Vnde respectu Dei possunt haberi plures conceptus quidditatiui non couertibiles: quia conceptus entis, sapientiæ, bonitatis, iustitiae, sunt quidditatiui, quia absoluti, & conueniunt Deo. Sunt etiam non conuertibiles, quia non omne ens est sapientia &c.

Concilium generale, est cōgregatio legitima auctoritate facta ad aliquē locum, ex omni statu hierarchico totius ecclesiæ catholice, nulla fidei persona, quæ audiri requirat, exclusa, ad salubriter tractandum & ordinandum ea, quæ debitū regimē eiusdē ecclesiæ infide & in moribus respici-

Concubina, est mulier quæ ad usum veneris non legitimè tenetur: & sic omnes meretrices dicuntur concubinæ. Alio modo capitur concubina communiter, & potest dici omnis mulier, quæ ad usum veneris tenetur, siue legitimè

## DE LITERA C.

sive illegitimi, sicut tamen quod non sit principalis  
uxor uiri: isto modo patres habuerunt concubinas.  
**C**oncupiscentia uno modo dicitur appetitus ve-  
getabilis, et talis concupiscentia prout est inordi-  
nata, est a somite mouente, id est, a corruptione  
originalis culpae: et isto modo non est peccatum,  
nec est prohibita. Alio modo potest dici appeti-  
tus sensibilis, et hoc prout est inordinata a mo-  
uente sensualitate cum somite, ita quod prima con-  
cupiscentia est in suggestione, secunda in delecta-  
tione: nechae proibetur diuino precepto sim-  
pliciter, sed tantum secundum quid, quia non erat  
prohibendum ne concupiscentiae sint in nobis, quia  
hoc est impossibile nobis, sed prohibentur ne eas  
sequamur in consensum. Tertio modo concupi-  
scentia dicitur cum consensu voluntatis, et sic pro-  
hibetur diuino precepto.

**C**onfessio sacramentalis, est latentis peccati ma-  
nifestatio, qua sub spe veniae peccatum manifesta-  
tur sacerdoti: et haec est ad salutem necessaria.  
**C**onfessio generalis est, quae fit in publico, ad delen-  
da venialia peccata utilis.

**C**onfessor est sacerdos qui audit confessionem, qui  
potest absoluere, qui est iudex quantum ad ligan-  
dum, et quantum ad soluendum ministerialiter, a  
culpa et poena eterna, scilicet quantu ad poenam  
temporalem taxandam, et in hac vita soluendam.

Conf-

## DE LITERA C.

Confiteri est veritatem sponte fateri.

Confirmatio unum de septem sacramentis sacramentum, est unctionis hominis viatoris baptizati, aliqualiter consentientis, uel ante susceptionem rationis usum non habentis, facta in fronte in figura crucis, cum chrismate sanctificato a ministro idoneo, simul cum debita intentione certa verba proferente, ex institutione diuina significans unctionem animae per gratiam roborante ad confitendum fiducialiter Christi fidem.

Confirmatio quaedam uiae est, quaedam patriae. Confirmatio uiae in hoc consistit, quia deus cocurrerit ad opera meritoria, que libere uult elicere, et nunquam ad opera mala. Sic Maria confirmata fuit in uia, ita quod mereri potuit nullo modo peccare assistente gratia.

Confirmatio patriae est, qua confirmati sunt beati, qui habent in se actum beatificum perpetuum a Deo creatum et conservatum, qui repugnat omni peccato omissionis et commissionis, a quo beati nunquam cessare possunt, Deo illum actum in eis conservante: et per hoc non possunt peccare.

Connotare non est rerum, sed signorum: unde filius non includit respectum, nisi filiationem et spirationem actuam, que non est ad creaturam, nec connotat. Sed nomen Verbum, in diuinis connotat respectum ad creaturas: patet, quia in eius

## DE LITERA C

quid nominis ponitur terminus significans creaturam: est enim verbum, persona genita de scientia patris, quae est dei et creaturarum, tanquam obiectorum. Item nomen filius, non connotat respectum ad creaturam: pater per eius quid nominis, quod est filius, est persona genita de substantia patris; et licet filius uerè et realiter de patris scientia genitus, quae est Dei et omnium creaturarum, quia omnibus modis filius est verbum, et è conuerso, tamen nomen filius hoc non connotat, sed nomen verbum: cuius ratio nulla est, nisi voluntaria impositio terminorum:

Conscientia tripliciter accipitur: uno modo pro ipso conscito, et sic conscientia est lex intellectus nostri: lex enim est id, quod per conscientiam nouimus. Aliquando accipitur pro quo conscientia sumus, scilicet pro habitu: sic conscientia accipitur pro habitu conscientie cognoscentis. Aliquando accipitur pro ipsa potentia conscientiae, ut ita dicam, secundum quod dicitur lex naturalis scripta in conscientiis nostris: usitatori modo accipitur pro habitu, scilicet potentiae cognitiae: unde et sic describitur: Conscientia est notitia adhaesiva, actualis uel habitualis conclusionis dictantis, id est, significantis in particulari aliquid bene et laudabiliter esse operandum, vel omittendum, aut enuncians operationem aliquam fieri vel factam esse

## DE LITERA C.

**C**onstitutum est illud, quod est aptum natū con-

**C**onscientia recta est, que est conformis legi.

**C**onscientia erronea est, que est difformis legi.

**C**onsilium lex est, non que liget ad obseruatio-

**n**em sui (eam quippe deserens non incurrit poe-

**n**am) impletio tamen eius præmium meretur &

coronam.

**C**onstitutum dicuntur persone, pater, filius, &

spiritus sanctus.

**C**ontentuum est illud, quod est aptum natū con-

**C**ontemplatio est mentis quædā conspi-

cua in sapientie spectacula cum admiratione su-

**C**ontingens capitur pro eo quod pri-

us quam esset potuit produci, & non produci.

**C**ontingens ad virum libet, non dicitur illud quod erit et nō erit; nec illud quod nec erit, nec nō erit, sed dicitur illud quod erit & potest non fore, vel quod non erit & potest fore, ita quod descriptio sine quid nominis contingentis ad utrumlibet sit possibile nō necessariū, uel potes esse et nō esse: et sic contingens ad utrumlibet est inservius ad possibile.

**C**ontingentia futura sunt duplia, complexa & incomplexa. Exemplū contingentie complexæ est: Futurū est quod Christus iudicabit mundū id est, futurum est quod talis propositio sit vera, Christus iudicabit mundum. Exemplum secundi est de antichristo futuro.

## DE LITERA C.

**C**ontritio est dolor pro peccato uoluntarie assumptus, cum proposito confitendi & satisfaciendi.

**C**ontusio est angor ob patrata scelera susceptus, cum cōfitendi & persoluendi uoluntate.

**C**onuenientia essentialis de rebus, est de essentia rerum, ita quod non stat illas res esse, & non sic conuenire: ut esse rationale hominibus: ab illa conuenientia potest abstrahi conceptus quidditatiuus absolutus et etiam connotatiuus, tam essentialiter quam accidentaliter.

**C**onuenientia accidentalis per oppositum dicitur: ut esse calidū lapidi: ab hac conuenientia non potest abstrahi nisi conceptus accidentaliter connotatiuus, quia cōceptus quidditatius nō negatur cuius est, ipso existente.

**C**onuersio est transitio unius in aliud: in qua duo notantur, desitio unius, & successio alterius.

**C**onuersio ad Deum attenditur rectitudo substantiae spiritualis quantū ad eius mentem, maxime ratione partis motiue, nec potest esse recta, nisi actu uel habitu sit ad Deum conuersa.

**C**onuersio ad Deum est duplex: quædam est à naturali rectitudine, quædā à rectitudine gratiæ.

**C**onuersti ad Deum, est Deo charitate adhærere. Auerti à Deo, est Deum odio habere.

**C**ooperari, est adiuuari præstatione auxiliij, consti-  
lij, instrumentaliter & dispositiue.

Corpus

## DE LITERA C.

Corpus humanū verum, est corpus physicū, perfecta mixtione mixtum, essentialiter complexior natū, perfectissima organizatione organizatū, viuificabile ab anima rationali vel intellectiua, & dispositum immediate ad eius susceptionem.

Corpus organicū, est corpus habens diuersas in situ partes et figurās, ad diuersa opera vite depu

Corpus Christi verū est quod sumpsit ex statas.

Maria virgine.

Corpus Christi mysticum, est congregatio omnium fidelium in charitate existentium &c.

Correctio fraterna est, quæ ex charitate procedit, non nocendi vel confundendi cupiditate, sed fratrem emendandi voluntate.

Correctio quedam est actus iustitiae vindicatiæ, quæ est correctio à malo, per inflictionem iustitiae pœnæ: & hæc non pertinet nisi ad superiores respectu inferiorū, quorū habent curam ex officio.

Hæc correctio dicitur iudicialis uel potestatiua.

Quedam est actus dilectionis, quæ est per amicabilem instructionem, boni exhortationē, & mali reprehensionem: & hæc respicit curā zeli, & ad hanc tenetur quilibet respectu cuiuslibet.

Corruptio uno modo dicitur desitio rei quantum ad esse substantiale: et hoc modo id est quod consuptio: alio modo est priuatio bonæ dispositionis corruptio integratis tria sub se comprehendit:

## DE LITERA C.

claustrorum apertio[n]em, p[re]nalem passionem, et  
sedam delectationem.

**C**reare, est aliquid de nihilo producere in effectu.

Deum creare mediante natura, est Deum creare  
aliquid, creatura illud idem producente: sic coe-  
lum agit mediante lumine calorē, quia lumen se-  
cum agit calorē: et sic loquendo Deus nō potest  
creare mediante creatura, ipsa creatura natura  
liter agente, seu secundum cursum naturae: quia  
si Deus sic faceret, esset miraculum. Item alio mo-  
do est Deum creare mediante creatura, quia dat  
potestatē creaturae aliquid faciendi in aliquo re-  
ceptiuo, quo factō vult ipse immutabiliter cau-  
sare: sic dedit potestatē homini sic disponēdi ma-  
teriam in generatione hominis.

**C**reatio est duplex, creatio actio, et creatio passio.

Creatio actio dici ur diuina essentia, et creatura  
non potens existere nisi posita diuina essentia: et  
dicitur creatio actio, quia Deus creator est, et  
creatura creata, quae sine Deo esse non potest.

Creatio passiva ,dicitur creatura non potens sine  
Deo existere, et diuina essentia: et est realiter  
creatura à deo producta: et sic creatio passio sup-  
ponit pro creatura, et cōnotat essentiā creatricē.

**C**redere largē sumptū, est firmiter assentire uero.

**C**redere Deum, est credere deum esse: scilicet quia

est aliquis primus princeps totius mundi et vni-  
uersi:

DE LITERA C.

uerfi: sic dæmones credunt & contremiscunt.  
Credere Deo, est uerbis eius siue scripturæ sacrae  
dem adhibere.

Credere in Deum, est credendo Deum fide & affe-  
ctione cum fide operante per dilectionē in ipsum  
tendere.

Credere implicitè, est alicui uniuersali, ex quo mul-  
ta sequuntur, firmiter assentire, & nullo contra-  
rio pertinaciter adhærere.

Credere sanctam catholicā ecclesiā, est credere eam  
sanctè, verè et sine errore approbasse quæcunq;  
approbauit, & per consequens est credere om-  
nia per ipsam approbata.

Credibile est quod credi potest, uel quod creditur.

Crimen idem est quod peccatum.

Crimen concusſionis est, dum quis minatur alicui,  
nisi hoc vel illud des aut facias, illud faciā vel nō  
faciā: uel quādo iudex venalē dat sententiā, alias  
non datus: vel dum poenam remittit, premio  
Vel cupiditate illeclus.

Culpa est illud, quo homo redditur inimicus Deo,  
id est, ingratus ad vitam æternam.

Culpa est triplex: quædam est qua persona cor-  
rumpit naturam, quale fuit peccatum primi ho-  
minis: quæda qua natura corrumpit personam,  
quale est peccatum originale: quædam in qua per-  
sona corrūpit seipsum, quale est actuale peccatum.

## DE LITERA C.

Cultus Dei tripliciter accipitur: uno modo pro actu directo in Deum sub ratione finis: et sic est omnis virtutis. Secundo modo dicitur cultus dei actus in Deum directus, non solum ratione finis, sed etiam obiecti: sic est virtutum theologiarum. Tertio modo dicitur actus directus in Deum, non solum sub ratione finis et obiecti, sed etiam sub ratione honorabilis: et talis est actus adoracionis, et sic est virtutis specialis: et hoc modo est ipsius latrice.

## DE LITERA D.

**D**A M N A T I O impropriè accipitur pro magna poena: large pro qualibet punitione, ad quam aliquis est iudicatus secundum quam accepit nem includit etiam poenam purgatorij.

Damnati sunt illi, qui adiudicati sunt ad poenam temporalem vel eternam.

Donum significat aptitudinem sive donabilitatem, ideo quod donatur, si tamē donabile est donum.

Datum significat actum donationis.

Debitum ex commisso, est propriè debitum.

Debitum est quoddam quod prouenit ex parte meriti, ut princeps qui regi fortiter militauit, meruit ut sibi dentur stipendia.

Debitum duplex est: quoddam est debitum ex charitate

## DE LITERA D.

ritate, quoddā ex necessitate. Debitum ex charitate non tollit perfectionē meriti: debitū verò ex necessitate quodāmodo diminuit: quoniā omnes alij debitores erāt mortis debito necessitatis, que quidem prouenit ex reatu et obligatione culpe.

Debitum aliquando accipitur pro peccato: peccata autem dupliciter appellantur debita, uno modo quia peccando debitū soluere recusamus, peccamus enim committendo et omittendo. Secundo peccata dicuntur debita nostra, quia nos debitores poenae faciunt.

Debitum coniugale, est actus coniugalis, quo vir tenetur vxori, & viceversa, petenti.

Decanus ruralis & archipresbyter idem sunt.

Decima, est portio vna ex decem.

Decimatio est actus decimarum.

Degradatio est totalis amotio à statu clericali, vel ab omni gradu clericali.

Delectatio spiritualis, que est in Deo creatore, vel propter Deum.

Delectatio carnalis est duplex, naturalis & voluntaria. Naturalis est cum unaquaeq; vis animae in suo obiecto, quod tanquam sibi bonum & cōueniens apprehēdit, delectatur: utpote ratio in cognitione ueri, uisus in coloribus. Voluntaria est propriè que apprehensionē rationis sequitur.

Delectatio in sensu fit dupliciter: vna per redun-

## DE LITERA D.

dantiam, alia per obiecti præsentiam.

Demeritum dicitur culpa, pro qua secundum decretum diuini iudicij infligi debet à indice poena peccati.

Dæmones dicuntur scientes: unde cacodemones mali spiritus, scientes malū: crudelones boni spiritus scientes bonum.

Dæmō succubus et incubus est, qui potest alicui succumbendo in assumpto corpore in specie mulieris alicuius semē recipere, & seruare illud in sua naturali qualitate, conuenienti naturali generationi, quousq; transfundat illud in matricē alicuius foemine ipsi incubendo, & postea mouet illud localiter trasfundendo in foemine matricē ei incubendo. Et sic semē illud receptū et transfusum, non amittit suam vim naturalē & qualitatē conuenientem: potest ipsum fieri conceptio & generatio, ac si primō de viro, à cuius corpore decūsum est, immediate transfusum fuisset in foemnam illam.

Depositio idem sonat quod degradatio, ut suprà.

Depositarius est, cui res mobilis seu potens semper traditur ad custodiendum.

Desiderium est motus appetitus in amabile, & inchoatio amoris.

Desiderium efficax est, quo aliquis statim ostensib[us] perfidem, quod fructu Dei per quam Deus habetur

D E L I T E R A D.

habetur, est sibi conferenda propter merita, elicit actum meritorium, si potest.

Desperatio est, qua quis diffidit se consequi posse quod sperandum est: vel quando ex falsa aestimatione propter peccata que fecit, vel bona que omisit, desperat de dei misericordia, credens deum nolle vel non posse sibi parcere, vel in gratiam recipere.

Detractio est denigratio alienae famae per verba occulta.

Deuotio est motus mentis in Deum. Vel deuotio est quidam actus voluntatis, ad hoc quod homo se tradit diuino obsequio. Vel deuotio est voluntas prompta faciendi quod ad Dei seruitium pertinet.

Deus essentialiter vel naturaliter intellectus, est pater, & filius, & spiritus sanctus.

Deus & deitas habent se ut concretum et abstractum.

Deus prout est subiectum, accipitur aggregatius, ut est primum subiectum theologiae.

Deus ut est res & non terminus, nihil operatur ad extra.

Deum diligere aliquid a se ipso, est ipsum illi bonum tribuere, eo modo quo vult.

Dextera uno modo accipitur pro gloria deitatis: secundo, pro beatitudine patris: tertio modo, pro iudicaria potestate. A dextris esse omnibus beatis competit. Adstante a dextris est proprium bea

## DE LITERA D.

*te Marie virginis, in quantū bona filij in ipsam  
speciali dignatione influūt. Sedere ad patris de-  
xtram, est proprium Christi.*

*Diaconissa non ab ordine diaconatus dicitur, sed  
à benedictione, qua competit illi legere homelias  
in matutinis.*

*Diligere est alicui velle bonum.*

*Diligibile est illud bonū solum et omne tale, quod  
sub obiecto adēquato charitatis includitur seu  
cōtinetur.*

*Diligere ex charitate vel charitatiue, est aliquē di-  
ligere ex gratia tanquam amicū secum in beatitu-  
dine cōmunicatiū: alias diligere pro omni ac-  
cipitur, ad quod charitas inclinat, qualis est om-  
nis dilectio meritoria.*

*Diligere Deum non est aliud, quām deo bene velle,  
hoc est, velle Deum esse summum bonum, infini-  
tum, omnipotentem, iustum, sapientem &c.*

*Diligere in finem, est diligere in Christum, qui est  
finis cōsummans, id est, ut eius dilectione transcat  
quò ipse transit, vel in finem, id est, in mortem.*

*Dilectio Dei, uno modo est quēdā forma existens  
in nobis, quē nō est Deus: altero modo est increa-  
ta, id est, Deus.*

*Diluuiū alterū est particulare pro qualibet inun-  
datione: alterū est uniuersale, quo perijt mūdus:  
Dispensare in materia decem præceptorum, nihil  
est aliud*

## DE LITERA D.

est aliud, quam precepta declarare qualiter debent intelligi. Est etiam alias dispensare, quando legislator simpliciter revocat preceptum iuris positivi ab eo actu.

Dispensatio est iuris relaxatio, facta cum cause cognitione, ab eo qui habet ius dispensandi. Et dispensare est quasi diuersa pensare.

Dispositio est habitus imperfectus.

Distinctio realis, est distinctio aliquorum, quorum unum negatur de alio, id est, unum non est aliud, sed aliquod singulare et simpliciter unum est utrumque. Sic distinguuntur in diuinis et relationes opposite, ut generatio activa et spiratio passiva: et relationes disparatae, que non conueniunt eisdem supposito: nam pater non est filius, nec paternitas est filiatio, et tamen una singularis et simplicissima diuina essentia est pater et filius, paternitas et filiatio.

Distinctio formalis, est distinctio eorum, quorum termini precise et singulariter significantes, de se inuicem vere ac affirmatiue praedicanter: et tamen non quicquid vere singulariter et affirmatiue praedicatur de uno, etiam praedicatur de altero: sed aliquod singulare, quod affirmatur de uno, negatur uerè de altero. Sic distinguuntur essentia et relatio, siue essentia et persona: nam essentia est paternitas siue pater, et tamen filiatio uel

## DE LITERA D.

*filius est essentia, et filius non est pater, neq; filia  
tio est paternitas.*

Distingui formaliter, nihil aliud est, quam quod  
vnum illorum est aliqua res absoluta vel relati-  
ua, & alterum non est illa res: sicut essentia est  
filius, & pater non est filius, ideo essentia & pa-  
ter distinguuntur formaliter.

*Distinctio rationis est inter conceptus mentis.*

*Distinctio specifica potest attribui rebus uel signis:  
& fit dupliciter. Specie essentiali distinguuntur  
quaे non sunt sub eadem specie specialissima abso-  
luta, uel quaे sunt sub diuersis speciebus specialis-  
simis absolutis, ut homo, asinus &c. Specie acci-  
dentali distinguuntur quaे sunt diuersis speciebus  
accidentaliter, id est, connotatiuis, ut homo albus,  
homo niger.*

*Distinctiuum, quod distinguit, uel quo aliquid di-  
stinguitur.*

*Dominus primo modo ille dicitur, qui habet diu-  
nam essentiā in unitate essentiali et reali: & isto  
modo pater, et filius, & spiritus sanctus dicuntur  
personae diuinæ. Secundo dicitur diuinū id, quod  
in quodam attributo representat ipsum Deum.*

*Dominicus dicitur à domino habitus uel possessus  
Diuinatio est usurpatio pronunciandi futuros  
eventus.*

*Divisio carnis est illa, qua aliquis est sortitus secun-  
da coniu-*

## DE LITERA D.

da coniugia, & hoc duobus modis. Primo modo quando aliquis habet plures vxores successiue. Secundo, quando aliquis habet unicam vxorem, quae habuit aliū virum: & ipsis duobus modis fit homo bigamus, qui ad sacros ordines superiores eternam.

Diuortium est separatio viri & vxoris, quantum ad thorū et cohabitationē, facta solēniter et publicē per manus episcopi, inter eos qui sunt matrimonialiter cōiuncti: et est duplex: diuortium ad uinculum matrimonij, quando propter aliquod impedimentū præcedēs, dirimitur matrimonium iā cōtra statū: alterū quo ad thorū, ut propter fornicationē.

Dolor carnis est tantummodo offendit anima ex carne, & quedā ab eius passione dissensio, sicuti animi dolor.

Domum ædificare in paradiſo, est mereri vitam inutilis est.

Dominiū est potestas propinqua assumēdi res alias, uel ut alias in sui facultatē, uel usum licitū, secundū iura uel leges rationabiliter institutas.

Dominium beatificū est secundum leges gloriae.

Dominiū originale est secundū originalis iustitiae.

Dominium gratificum, est dominium secundum leges gratiae gratum facientis.

Dominium euangelicū est secundū legem propriam euangelicam.

## DE LITERA D.

Dominium canoniciū est secundum canones.

Dominium politicū est secundum leges politicas.

Dominiū usurpatū dicitur, quod non iusto titulo,  
sed fraude vel violentia est obtentū, & iniuste à  
vero dominio ablatum, & dicitur dominiū non  
legitimum.

Donatio uno modo donū quod aliunde est simpli  
citer dicitur: alio modo dicitur donum quod est  
per adiutoriū diuinū, nihilominus tamen per ac  
quisitionem nostram.

Donū uno modo accipitur pro omni bono, quod  
liberè, liberaliter, voluntariè, & gratuitò commu  
nicatū est creaturæ: & sic omnia naturalia et gra  
tuita nostra dicuntur donum. Secundo modo do  
num accipitur pro omni bono à Deo collato libe  
rè superaddito creaturæ, per liberalē & benevo  
lam sui cooperationē ipsius Dei cooperantis no  
stræ naturæ: & sic iustificatio impi est donū dei.  
Tertio modo accipitur pro omni dono bono à  
Deo collato liberaliter superaddito naturalibus  
per immediatā infusionē à Deo, sine nobis coope  
rantibus, ut fides, spes, timor seruilis, & alij duo  
timores. Quarto modo, pro omni bono collato à  
Deo, sic quod est essentialiter gratuitum à gra  
tia gratum faciente: & sic septem dona spiritus  
sancti dicuntur dona.

Dona gratuita sunt duplia: quædā sunt gratiæ  
gratis

## DE LITERA D.

gratis datur, et haec non distinguuntur a naturalibus bonis. Alia sunt gratia facientia, sicut est solachæritas & gratia, que nos facit deo gratos et acceptos. Et haec dona gratuita sunt illa, propter quæ deus acceptat habentem dona huiusmodi ad vitam æternam.

Dos theologicæ sumpta, est conatus perpetuò datum corpori et animæ uite sufficiens, in æterna beatitudine consistens. Et sunt septem dotes: tres ipsius animæ, scilicet clara visio dei, fruitio sequens visionem Dei, & tentio. Quatuor sunt corporis: agilitas, impossibilitas, subtilitas, & claritas.

Dos claritatis est quedam refulgētia, addēs super luce & calorē manifestationē sui. Et corpora gloria post resurrectionē erūt clara dote claritatis.

Dos impossibilitatis uno modo opponitur passione corruptiæ & afflictiæ, quæ magis facta naturaliter abicit a substâlia, vel saltē affligit ipsum patiens. Alio modo opponitur passioni, quæ nec abicit, nec affligit, sed magis saluat & perficit, quæ passio nec est afflictio, nec corruptio, sed est salus & pfectio eius, quod patitur hac passione.

Dos agilitatis est, ut corpus summè obediat animæ, & motori quantū ad motum localē & progressum, sine omni difficultate et fatigacione.

Dos subtilitatis est ad subiiciendum corpus animæ, ad operationes organicas sensitivas: & remota

## DE LITERA D.

omni grātia et ineptitudine ad eas, sensitiu.e potentie rationi obedient, & ad operationes suas purius exercendas virtuosiores fiant.

Dubitatio vno modo & propriè accipitur promotu intellec̄tus in utrāq; partem contradic̄tis, cum formidine determinandi alteram. Alio modo impropriè transfertur ad formidinem esse c̄tus in aggrediendo vel sustinendo terribile.

Dulia est honor seu seruitus debita creaturæ: sicut latrā est honor seu seruitus debita soli Deo.

## DE LITERA E.



C C E, aliquid repentinū & subita  
neum insperatumq; apud theologos  
significat.

Ecclesia vno modo capitur pro templo materiali. Secundo modo pro templo spirituali: & sic multipliciter potest sumi: vno modo particulariter, & sic quælibet rationalis creatura, quam Deus spiritualiter inhabitat, potest dici ecclesia dei: alio modo magis generaliter pro aliqua congregatiōne talium creaturarū, siue uniuersali siue particulari. Et sic iterū multipliciter sumitur: vno modo pro omnibus agnoscētibus clare vel beatificē catholicas veritates, & sic vocatur ecclesia triumphans. Alio modo pro omnibus cognoscētibus ænigmaticē has veritates, & sice eccl-

## DE LITERA E.

Sic ecclesia triumphans non solum sanctos, sed & malos ac demones comprehendit: & hoc modo iterū ecclesia aliter sumitur pro hominib. in mortali corpore naturaliter timētibus, et ænigmatis cognoscētibus catholicas veritates, & sic vocatur ecclesia militans.

Ecclesia militans est congregatio omnium fidelium viatorū sub Christo militantiū, contra diabolū, carnē et mundū: vnde pagani et infideles nō sunt de ecclesia militātē, nec beati nec cōprehensores. Ecclesia Petri uno modo est, quā Petrus ipse rexīt: alio modo est ecclesia particularis in qua ipse sedem tenuit.

Ecclesia Romana aliquādo sumitur pro summo pōtifice, & quibusdā presbyteris & diaconis: quādoq; pro solis cardinalib; quādoq; pro omnib. suscipiētibus fidē apostolicā predicationē Romanis: quādoq; pro omnib. clericis Romanis: aliquādo pro omnibus fidelib. romanæ dicecessis: et sic universalis ecclesia potest vocari Romana ecclesia.

Ecclesiam violare, est ipsam frāgere vel incendere. Ecclesie immunitatē violare, est facere contra ecclesiæ libertatem.

Effectus gratiæ duo sunt principales: unus est gratificari naturam: secundus est inclinare operationes in finem ultimum, qui Deus est.

Efficacia meriti est, quæ difficultate operis, ex vo-

DE LITERA E.

luntatis promptitudine, & ex magnitudine charitatis prouenit.

Electio uno modo accipitur pro actu voluntatis continentem plenam apprehensionem intellectus: sicut dicitur peccare ex electione, quando non est ignorātia nec passio perturbās in intellectu. Alio modo dicitur pro actu voluntatis consequente syllogismum practicum, seu conclusionē syllogismi practici, qui nō est nisi volitio efficax obiecti, inquirens medium per quod possit attingi obiectum. Primo modo electio est impossibilium, secundo modo electio non est possibilium.

Electio quedam est secundū affectionem dilectionis, et est p̄eoptio diuinæ voluntatis, qua p̄eoptat vel vult dare vitā æternā aliquibus creaturis rationabilibus, et non alijs: et est idem quod p̄edestinatio. Electio in Deo est æterna: quædā est finalis gratificationis, & est collatio gratiæ finalis ipsi creaturæ rationali: hæc est temporalis, non æterna. Quædā est electio p̄relationis, & est collatio alicuius dignitatis vel eminentiæ alicui creaturæ rationali super alias creaturas rationales, quemadmodū episcopus dicitur p̄elatus: vnde Christus, Ego elegi vos &c.

Eleemosyna est opus, in quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum. Propriè dicitur opus pietatis impensum proximo, ad relevandam

## DE LITERA E.

*uandam indigentiam corporalem.*

Elicitum & Elicituum sunt vocabula apud moderniores scholasticos in frequenti vsu, & varie à varijs accipiuntur.

Elicituum principium productionis actiuae est illud, quod necessariò & per se requiritur ad productionem, & non est ipsa productio, nec cōstitutum ex illa productione vel producto: id est, quod non est formaliter, nec ipsa produc-tio, nec constitutum ex productione.

Elicitum aliquando accipitur pro illo quod ve-re producitur: sicut dicitur, quòd calor ducitur ab igne: quamvis communius cōcedatur, quòd ignis producat ignē, & quòd elicit actum producendi ignem, quam quòd ignis elicit ignem. Alio modo accipitur pro illo, quod formaliter denominat aliquid producere aliud: sic calefactione dicitur elici ab igne, & non calor, quia ignis calefactione formaliter dicitur caleface-re, & non calore: quia possum ignis calorem habere in se, & non calefacere, si diuinitus non suspenderetur actio, ut in pueris in forna-ce, Danielis 3. Diuina essentia, est principium elicitiū generationis actiuae: sed proprietas personalis non est principium elicitiū gene rationis, nec actiuae, nec passiue.

Elicitum esse, nihil est aliud quam esse illud à quo

D.

## DE LITERA E.

formaliter aliquid dicitur producere aliud.  
Et dicitur aliquis non eliciens, quia eliciens nō  
denominatur à productione, sed persona con-  
stituta ex eliciente & elicito.

Energia interior labor vel defectus.

Ens in communi habet conceptum latissimum  
ad omnes conceptus positivos, sicut suum op-  
positum Nihil, habet conceptum latissimum  
ad omnes conceptus negatiuos.

Ens, esse et essentia, non differunt secundum rem  
significatam.

Ens multiplex est. Intellectuale & hoc dupli-  
ter, vel vt per se existens, vel vt alteri natum  
vniri, vt humani intellectus. Item inuenitur  
ens rationale secundum duplēm portionem.  
Item ens animale, & hoc dupliciter: uel con-  
iunctum rationi, vt in hominibus: vel per se  
stans, vt in brutis. Item ens vitale seu vegeta-  
bile: & hoc dupliciter, uel cum consensu, vel  
sine sensu. Item ens substantiale, vt elementa  
vel materia prima, quæ de se non est principia  
liter nihil, cùm sit pars substantialis composi-  
ti: sed considerata sine forma non est actus for-  
malis, & informis dicitur, & sic turpis appe-  
tens formam sicut aliquid pulchrum. Item ens  
analogum, quod appellamus accidens, cuius est  
inesse, non esse, secundum philosophos, cùm ta-

men

## DE LITERA E.

**I**men ponat fides ea posse sine subiecto per se esse. Item est quoddam ens rationis, quoddam reale. Ens reale est in rerum natura.

**E**ns rationis, quod terminat solum intellectum, & quod non existit in rerum natura.

**E**ns completum, est ens quod non est actu pars integralis, nec est actu nec aptitudine pars essentialis: aptitudine, id est, inclinatione: unde materia & forma nunquam est ens cōpletum, siue actu componat, siue aptitudine tantum.

**E**ns creatum, est creatura. In creatum, est illud, cui repugnat causari, creari, & effici: & tale est solus Deus. Solus enim est ipse ens simpliciter independens.

**A**equitas est quae præponderat uigori legis.

**E**rrare est aliquid pro alio putare, uel falsum pro uero putare.

**E**rror dicitur iudicium falsum.

**E**rror intolerabilis est, quando aliquid sub vi præcepti continetur in sententia a qua appellatur, quod communiter in suo genere est peccatum, ut puta quod est contra ius diuinum, uel humanum, uel canonicum: ut si quis excommunicatur, quia dat eleemosynam pauperi: aut quia non operatur illud, quod in suo genere illicitum est: aut dum præcipit quod impossibile est.

## DE LITERA E.

Esse uno modo accipitur syncategorematicè, ut est actus complexius vniens extrema: alio modo categorematicè, & hoc dupliciter. Primo modo, ut significat esse existentiæ: id est, rem actualiter existentem. alio modo significat esse possibile, ut scilicet conuertitur cum ente, cum non repugnat esse in rerū natura, licet sic non vñitate accipitur.

Esse, secundum aliquos est quadrupliciter: esse essentiæ, esse existentiæ, esse subsistentiæ, quod est suppositale: & esse propositionale, quod importat compositionē prædicati cum subiecto. Esse in loco, contingit tripliciter, commensuratiue, circumscriptiue, & dimensiue.

Esse in omnibus rebus creatis soli Deo conuenit. Essendi modi his uersibus complectuntur:

Insunt pars, totum, species, genus, calor igni,  
Rex in regno, res in fine, locusq; locato.

Essentiæ nomine intelligimus diuinā naturam, quæ communis est tribus personis.

Essentiale est secundum scholasticos, quod prædicatur de tribus personis.

Aeternum simpliciter dicitur immutabile, tam substantialiter quam accidentaliter.

Aeternitas est indeterminabilis uitæ tota simul & perfecta possessio.

Eucharistia est oblatio benedicta, per quam benedicimur:

## DE LITERA E.

nedicimur: adscripta, per quam omnes in cœlo  
ascribimur: rata, per quam in visceribus Christi  
cēsemur: rationalis, per quam à bestiali sen-  
su exuimur: acceptabilis, ut qui nobis disipli-  
cemos, per eam acceptabiles eius unico filio si-  
mus. Vel, eucharistia est species panis vel vini,  
corpus Christi & sanguinē virtute sacerdota-  
lis consecrationis verē & realiter continens.

Euangelium est æternorum atque incorrupti-  
bilem bonorum, quæ certe suprema & maxi-  
ma sunt, & ex antiquissimis prædicta tempo-  
ribus: nuper uero splendore sui orbem illu-  
strantia, cunctis hominibus enūciat, quod non  
cæcas caducasq; huius seculi diuitias, nec bre-  
uem hanc calamitosamq; vitam, nec instabilita  
corporis commoda, sed animarum, quæ intel-  
lectuales substantiæ sunt, à quibus & corpo-  
rum bona, quasi umbrā consequētia depēdent,  
summā propriamq; nobis affert felicitatem.

Evidentia altera est absoluta, quæ est eviden-  
tia primi principij vel reducibilis ad eam: alte-  
ra conditionata, qualis est evidentia nostri in-  
genij, quæ est circa primam.

Excommunicatio est quasi extra communionem  
positio, exclusio & separatio. Item, excommu-  
nicatio est censura à canone, uel iudice ecclæ-  
siastico proleta, priuans à communione homi-

## DE LITERA E.

num & sacramentorum.

Excommunicatio minor, est separatio à sacramentorum communione tantum.

Excommunicatio est separatio à communione fidelium & sacramentorum.

Exemplar dicitur expressio per modum actiui.

Exitus, est productio passiva alicuius rei in esse recti, secundum quam formaliter dicitur produci ab alia re.

Exorcismus est adiuratio contra diabolum.

Exorciscere est adiurare.

Exorcistæ sunt qui supra catechumenos seu energumenos, id est, eos qui habent spiritum immundum, inuocant nomen domini nostri Iesu Christi, diuina uirtute obiecta adiurantes eum, ut egrediatur ab illis.

Exorcismus quidam est Salomonis, & est ille qui fit per aliqua uerba sacra, & per certos charæctères, quibus fugantur dæmones. Quidam est benedictionis, & est quando coiuratur aliqua creatura, ut ordinetur ad aliquem actum benedicti: & isto modo exorcisatur aqua benedictionis. Tertius est solennitatis, qui est coniuratio diaboli, ne noceat baptizando à susceptione sacramenti, ne etiam habeat tantam potestatem super exorcisatum, quantum haberet si non esset exorcisatus: & isto modo exorcisatur

## DE LITERA E.

tur pueri & adulti baptizandi per coniurationem diaboli.

Ecstasis est raptus mentis cum cessatione omnium operationum in inferioribus potentij: & est duplex, una cognitiva, altera effectiva. Prima ecstasis est raptus in spiritu, secunda est raptus extra spiritum.

## DE LITERA F.



ACERE est operari, vel in opere esse.

Facere aliquid de potentia absoluta dicitur Deus, quando simpliciter & absolute facit quod potest.

Facere quod in se est, est uti ratione, per quam potest comprehendere Deum esse, & inuocare adiutorium Dei.

Facultas est potestas, qua aliquid habetur ad nutum.

Falsarius est, qui falsitatem inducit seu committit directe vel indirecte ad proximi deceptiōnem iniustum.

Fantasma significat principaliter ipsam re imaginatā singularem, visam, & connotat actum fantasiandi.

Fatum est effectus diuinitus praedictus.

Felicitas est operatio optimae potentiae secun-

## DE LITERA F.

dum optimam virtutem in vita continua & perfecta.

Fictus, qui aliquid pretendit foris, aliud intus habet.

Fides aliquando accipitur pro actu, aliquando pro habitu, aliquando pro obiecto.

Fides pro actu, est assensus veritatis reuelatae.

Fides pro habitu, est habitus ex huiusmodi assensibus frequentatis acquisitus, vel immediate a Deo insusus, inclinans intellectum ad assentendum veritatibus reuelatis.

Fides pro obiecto est veritas credita, aut res per ipsum significata.

Fides viua est, quae credit Dei veritatem, & cum hac eum amat & timet per affectionem.

Fides mortua est, quae credit veritatem Euangelij sine operibus bonis.

Fides facta est debilis credulitas, & quae firma non est, sed quae in tentatione recedit.

Fides acquisita est habitus naturaliter acquisitus ex aliis credendi frequentatis.

Fides infusa est habitus a Deo supernaturaliter & immediate in anima creatus.

Fides informis est, quae est in aliquo sine charitate.

Fides formata est, quae est cum charitate & operibus bonis.

Fidei

## DE LITERA F.

Fidei actus est generalis, ut intellectus credentis  
firmiter primæ veritati, cui innitatur propter  
se, nec humanam rationem aut miracula prin-  
cipaliter requirit.

Fidei speciales actus sunt quatuor: credendo ama-  
re, credendo in Deum ire, credendo ei adhære-  
re, credendo membris eius incorporari.

Fides explicita, est actualis assensus catholicæ ve-  
ritatis siue vniuersalis siue particularis.

Fides implicita, est fides habitualis aut actualis  
assensus alicuius propositionis generalis, mul-  
tas particulares veritates in se includentis.

Fomes est qualitas carnis inordinata, inclinans  
appetitum sensituum ad actum difformem &  
vitiosum in habente iudicium rationis.

Forum est duplex in eccllesia: unum secretissi-  
mum, alterum publicum.

Forum secretissimum est, in quo est idem accu-  
sator & reus, quod dicitur forū animæ, uel fo-  
rum pœnitentiæ: & ad istud forum pertinent  
claves potestatis & scientiæ.

Forum publicum est, quia ecclesia habet autori-  
tatem corrigendi delicta publica: & ad hunc  
requiritur duplex autoritas, cognoscendi &  
iudicandi.

Frui communiter accipitur pro omni actu po-  
tentiae appetitiæ delectabili, siue qui est cum

## DE LITERA F.

delelatione. Secūdo modo accipitur pro omnī actū uoluntatis, quo propter se aliquid diligitur, non relative in aliud, saltē per illū actū. Frui aliquo contingenter, dupliciter accipitur: uno modo quòd potest illo frui & nō frui, sicut producere & nō producere: quia Deus potest subtrahere suam coactionem, & generalē influentiam, & sic non producit. Alio modo accipitur pro illo, quod producit aliquem efflum, & nullo uariato ex parte producentis, & cuiuslibet alterius, habet in sua potestate ita producere, sicut nō producere, quod extra naturam suam ad neutrum determinatur.

Fruitio Dei, est operatio secundum habitū gratiæ gratificantis non impedita.

Fruitio quædā est ordinata, quando aliquid summè diligendum summè diligitur. Et hæc est duplex: quietans, & satians voluntatem de bono præsenti, qualis est fruitio patriæ. Fruitio quædā inordinata est, qua summè diligitur & propter se tantum, quod propter aliud referibili- ter diligendum est.

Fruitio quædam est viæ, quæ est amor, quo diligimus Deum super omnia, non tamen clarè ex perse. Té: & ista est iustorū. quædā est patriæ, quæ est beatorum, & est amor quo diligimus Deum super omnia clarè.

DE

## DE LITERA G.



ABELLA dicitur præstatio,  
quaæ imponitur rebus usui homi-  
num subiectis emēdis aut venden-  
dis, aut de loco ad locum transfe-  
rendis.

Gaudium est passio concupisibilis proueniens  
ex perfectionis appetitæ coniunctione secun-  
dum interiorem apprehensionem sensus vel in-  
tellectus.

Gaudium viæ est, quod admittit tristitiam.

Gaudium patriæ est, quod nullam admittit ca-  
lamitatem.

Generatio, est mutatio ex non ente in ens.

Generare voluntariè intelligitur tripliciter: vo-  
luntarie, voluntate antecedente, ut scilicet prius  
voluit, & postea genuit: vel antecedente siue  
consequente, ut scilicet prius genuit, & post vo-  
luntatis actum sibi ingenito complacuit: vel vo-  
luntate concomitate, ita quod simul genuit &  
generare voluit: voluit quidem complacenter,  
non contingenter.

Generatio vniuoca dicitur in generatione acci-  
dentali, quando terminus formalis, scilicet acci-  
dens, secundum se totum productum est eius-  
dem rationis siue speciei cū generatione per se  
producendi: vnde si ab igne calefit lapis vel li-  
quum, generatio est vniuoca, quia calor produ-

## DE LITERA G.

ctus in lapide vel ligno, est eiusdem rationis cū calore ignis, licet ignis & lignum & lapis differant specie.

Generatio ab uno est, spiratio à duobus.

Gloria est clara notitia cum laude.

Glorificatio quædam essentialis est, quædam consubstantialis, quædam accidentalis.

Glorificatio essentialis est, quæ consistit in optimis operationibus intellectus & voluntatis tendentibus ad Deum: & hæc animæ est.

Glorificatio consubstantialis est, quæ consistit in perfectissimis operationibus potentiarum sensituarum, secundum quas tendunt in sua obiecta perfectissima: quia sicut anima Christi est glorificabilis, sic potentiae sensitivæ sunt notæ glorificati secundum operationes suas: & dicitur secundum quid, quia anima est glorificabilis simpliciter.

Glorificatio accidentalis est, quæ conuenit animæ, & est quoddam gaudium de aliquo facto victorioso: ut virgines de hoc, quod vixerunt in virginitate, & similiter Doctores de doctrina: & dicitur aureola.

Gradus est cuiuslibet actus virtuosi.

Gratia aliquando accipitur pro amore, aliquando pro concessione beneficij, vel alicuius indulgentiæ, vel autoritatis: aliquando pro dono spiritus

D E . L I T E R A G.

spiritus sancti.

Gratia dicitur à gratis, quasi gratis dans vel gratis data.

Gratia increata est spiritus sanctus, qui datur rationali creaturæ ad eius sanctificationem.

Gratia creata est omnis creatura, quia omnis talis à Deo est gratis producta, ex sibi ipsi creature aut alteri donata.

Gratia est donum misericordiæ diuinæ, per quod est bone voluntatis exitus, id est bona operatio. Item, gratia est quidam nitor animæ, id est, quædam pulchritudo concilians ad amore sanctum, scilicet Dei. Item, gratia est forma nobis à Deo gratis data, sine meritis præcedentibus, gratum faciens habentem, ex eius opus bonum reddens dignum vita æterna.

Gratia gratum faciens, est qua amicus Dei constituitur, et dignus vita æterna, qui eam habet.

Gratia gratis data est donum supernaturale, datum alicui ad utilitatem sui vel aliorum, quod habens non est formaliter gratus Deo: potest enim tale donum stare in peccatore, qui nō est gratus Deo.

Gratia absolute accepta, significat qualitatem illam, quæ est gratia, nihil connotando. Accipitur & connotatiunc, & sic supponit pro re, & connotat acceptancem habentis eam ad ui-

## DE LITERA G.

tam æternam.

Gratia prima dicitur gratia iustificans, & est ex qua iniustus fit iustus, re qua iustificatur impius.

Gratia quædam est præueniens, quædam subsequens, siue operans & cooperans.

Gratia præueniens dicitur in quantū ipsam voluntatem facit bonam, & ideo præuenit: quia non est à libero arbitrio, sed potius infunditur ab ipso Deo.

Gratia subsequens siue cooperans dicitur in quantum adiuuat liberum arbitrium, respectu boni operis eliciendi.

Gratia prædestinationis, est ordinatio creaturæ rationalis ad gratiam & gloriam, & ista fuit ab æterno.

Gratia uocationis est, quæ nobis offertur à Deo per aliquas monitiones vel flagellationes.

Gratia iustificationis est illa, qua Deus nobis infundit gratiam gratum facientem.

Gratia magnificationis est collatio gloriæ æternæ pro meritis præcedentibus.

Gratia cogitationis est, si quis habet bonam aliquam cogitationem.

Gratia voluntatis est bona uolitio, & ista Deus operatur nobiscum, quia uoluntas est libera, & ita Deus nobiscum non cogit eam.

Gratia

## DE LITERA G.

Gratia perfectionis est, quando executio fit actus  
qui est potentia motuum: et ista operatur Deus  
per nos, quia sumus instrumenta.

Gratia protectionis est, quae fit respectu pugnae  
diabolice, a qua Deus nos protegit.

Gratia liberationis est illa, qua Deus liberat nos  
a malo misericordie et penitentiae perfectae: et haec erit  
in patria.

Gratia extractionis est illa, qua extrahimur e  
malo culpe postquam peccauimus.

Gratia salvationis est, quando aliquis non ha-  
bet amplius sequelam peccati: et ista erit per-  
fecte in gloria.

Gratuitum dicitur tale aliquid a gratia gratum  
faciente: et sic omnia opera facta ex charitate  
dicuntur gratuita, et etiam virtutes existen-  
tes cum gratia. De gratuitis donis vide supra  
dictionem Donum, in litera D.

## DE LITERA H.

ABITVS est quedam animi  
qualitas acquisita ex frequenta-  
tis actibus, uel ex uno multu[m]  
vehementi, quo anima faciliter di-  
ponitur ad aliquid faciendum. Et differt a di-  
spositione, quod haec faciliter, illa difficulter  
mobilis est a subiecto.

## DE LITERA H.

Habitus quandoq; generalius accipitur pro qua-  
libet qualitate inclinatē potentiam ad actuum  
productionem, siue sit genita ex actibus simili-  
bus, siue non. Sic Philosophus nominat virtu-  
tes naturales, habitus.

Habitus esse tialiter virtuosi sunt, qui geniti sunt  
ex actibus voluntatis elicitis esse tialiter, & in-  
trinsicè virtuosis: & hi tatu sunt in voluntate.

Habitus contingenter virtuosi sunt, qui gignun-  
tur ex actibus contingenter virtuosis, sicut ha-  
bitus aliarum potentiarum, puta intellectus sen-  
sus, aut potentiae executiæ, dum generatur ex  
actibus à voluntate imperatis: omnes enim indif-  
ferenter inclinant ad actus virtuosos & laudabi-  
les, vel ad actus virtuosos & vituperabiles.

Habere tripliciter dicitur: formaliter, causaliter  
seu effectiū, & exemplariter.

Habere formaliter est, quando est subiectū illius  
quod habet, ut album albedinis.

Habere causaliter seu effectiū est, quando habens  
potest effectiū producere quod habet.

Habere exemplariter est, quando quis intelligit  
seu cognoscit illud quod habet.

Hæresis ab electione dicitur, quando quis eligit  
disciplinā, quam putat esse meliorem. Et hæ-  
resis, ratione pertinaciæ, est peccatum in spiritum  
sanctum, scilicet impugnatio ueritatis.

Hæresis

## DE LITERA H.

Hæresis dupliciter accipitur: uel pro habitu, uel actu essentiendi falso, vel pro obiecto, quod est propositio falsa seu articulus falsus. Primo modo accipiendo, potest esse noua fides & noua hæresis ac error: quoniam quis potest de novo credere vel errare. Secundo modo non est error nouus seu hæresis.

Hæreticus uno modo ponitur pro omni excommunicato: secundo modo pro peruersore sacramentorum: tertio modo pro quolibet dubitante aut putante fidē Christianā esse falsam: quarto modo pro omni Christiano errante cōtra catholicam veritatē pertinaciter, qui putat se Christianum esse: quinto pro omni qui pertinaciter adhæret errori qui sapit hæresim.

Hierarchia est rerum sacrarum & rationabilium ordinata potestas, in subditis debitum retinens principatum. Est triplex: supercœlestis, seu cherarchia, quæ dicitur diuina: cœlestis, quæ dicitur angelica: & subcœlestis, quæ est humana siue ecclesiastica.

Hierarchia supercœlestis, est sancta trinitas & diuina personarum unitas: vel est pulchritudo diuina, simplex, bona, perfectionis autor, pura, nullam prorsus admixtionem dissimilitudinis accipiēs, verum singulos pro meritis lucis suæ participes faciens, & sacrofæcto mysterio

## DE LITERA H.

rio perficiens, quantū quisq; iniciatus cōgrue illius in se exprimere immutabilē nititur effigiē. Hierarchia creata tam angelica quam humana, est ordo sacratior, et scientia et operatio, quae ad Dei similitudinem pro viribus nititur, ac promodo suo ad imitationē Dei ex indulta sibi diuinitus intelligētiæ luce subehitur. Vel hierarchia creata, est sacra quædam potestas, plures continens ordines, communicans inferioribus determinato ordine, quod à prima potestate diuina suscepit.

Hierarchia angelica est triplex: eparchia, id est, suprema: mesarchia, id est, media: et hyparchia id est, infima. In prima sunt Seraphin, Cherubin & throni: in media & infima alij.

Hierarchia ecclesiastica, quæ est in ecclesia militanti, cuius tres sunt actus: purgare per afflictionem pœnalem excommunicationis vel interdicti, si rebelles inueniantur: illuminare per prædicationē & doctrinā: perficere per aliorū sacramentorum ministracionem.

Homo uetus, est homo peccator, propago ueteris Adæ.

Homo nouus est, qui intelligētia adæquatur summa veritati in cognoscendo, voluntas conformatur summæ bonitati in diligendo, et virtus continuatur summæ potestati in operando. Hec autem

DE LITERA H.

**A**utem est, quando homo ad Deum conuertitur ex se toto.

**H**onestas dicitur honoris status, terminus boni,  
& finis honoris.

**H**onor est reuerentia & dignitas, quæ ex causa aliqua alicubi exhibetur.

**H**ostia primo modo capitur pro omni sacrificio quod offerebatur Deo in lege antiqua, siue pro expiatione peccatorum, siue pro pace. Secundo modo pro sacrificio, quod offerebant pagani & idololatre idolis pro victoria habenda. Tertio modo pro sacramento eucharistie: & sunt illæ species panis & vini: scilicet illa albedo et illa rotunditas, sub quibus continetur corpus Christi.

**H**umilitas est uirtus, qua verissima sui cognitio sibi ipsi quilibet vilescit.

**H**ypocrisia est simulatio alienæ personæ, ideo semper est peccatum & vitium iactantiae.

**H**ypocrita sonat simulator vel dissimulatorens.

**H**yperdulia est honor quidam valde magnus, qui exhibetur creaturæ rationali excellēti propter maiorem affinitatem & coniunctionem ad Deum: sicut humanitati Christi & beatæ virginis.

**H**ypostasi Græci utuntur pro supposito rationalis naturæ, sicut nos latini nomine personæ.

## DE LITERA I.



DE A est forma exemplaris, quae res fiunt & cognoscuntur, quae est in mente artificis.

Idem, potest capi uno modo masculinè, & sic hæc locutio est falsa, Filius est idem patri & spiritui sancto: quia sensus est, quod filius est eadem persona cum patre. Alio modo potest capi Idem neutraliter, et sic vera est illa, Filius est idem patri & spiritui sancto.

Identitas, similitudo, & æqualitas, nullā distinctionem important in diuinis, nisi distinctionē personarum & proprietatū: ideo nulla est distinctio inter identitatem, similitudinem, & æqualitatem.

Idioma proprietas est, & accipitur aliquando pro concreto importate proprietate alicuius: unde communicatio idiomatum, dicitur communicatio proprietatum: vel communicatio idiomatum est mutua uerificatio prædicatorū. Et communicatio idiomatū in Christo, est mutua prædicatio concretorum vel prædicatorū utriusq; naturæ de se inuicem, & de supposito in his subsistente: nec ex tali prædicatione fit aliqua diminutio diuinæ perfectionis, nec aliqua additio perfectionis, cùm hoc dicendo sit solum terminare dependentiam naturæ assumptæ

## DE LITERA I.

sumptæ à diuina persona. Exemplū primi, ut quod cōcretum diuinæ naturæ, scilicet Deus, prædicatur de concreto humanæ naturæ, scilicet homo, & è conuerso, dicendo, homo est Deus, Deus est homo: homo est æternus, infinitus, creator: Deus est temporalis, corruptibilis, passibilis, mortal is &c. Exemplum secundi, Christus est Deus, Christus est homo &c.

Idololatria est simulacrorum cultura, uel est cultus Deo debitus, creature exhibitus. Vel idololatria est latriam Dei, id est, cultum exhibere creature.

Ieiunium quoddam dicitur intestinum tenuē, in quo nihil reperitur, sed est semper vacuum. Secundò dicitur abstinentia à cibis & uitijs: & est duplex, scilicet corporale & spirituale.

Ieiunium corporale est abstinentia à cibo & potu, intuitu satisfaciendi, vel vitandi peccatum, vel acquirendi vitam æternam.

Ieiuniū spirituale est abstinentia à peccato mortali: & ad hoc ieiuniū quilibet viator tenetur.

Ieiunium alias propriæ sumptum, consistit in afflictione carnis secundum gustum communiter omnis carnis, in vigilijs, flagellis, & ieiunijs propriè dictis.

Ieiunium communius sumptum est abstinentia ab omni mortali peccato.

DE LITERA I.

Ieiunium communissime sumptum, est abstinentia à cibo & potu.

Ieiunium perfectum, est abstinētia ab iniquitatibus, & ab illicitis voluptatibus seculi: hoc frangitur per quodcumq; mortale.

Ieiunium est aliud quod frangitur per gulam, & est actus virtutis abstinentiae.

Ieiunium institutum ab ecclesia, est quod auctoritate ecclesiæ propter certas causas institutum est, secundum regulas ecclesiæ.

Ieiunium naturæ, est abstinentia cibi et potus integrō die naturali.

Ieiunium virtutis est actus temperantiae, & est refrenatio delectationum gustus in cibo & potu, secundum regulam rectæ rationis, uel habitus ad hanc inclinans.

Ignis infernalis est, qui urit & nō comburit vel consumit, quia pabulū non requirit. Vel, ignis infernalis est instrumentum Dei cruciando.

Ignis purgatorius est, per quem purgantur animæ in charitate decesse, habentes aliquid piable, propter quod satisfacere oportet summo iudici.

Ignis conflagrationis est, qui ante iudicium veniet, & durat post iudicium: mundum multis malis & vitijs infectū purgabit: qui ad tantam altitudinem ascendet, ad quantam ascenderū

aqua

## DE LITERA I.

quæ diluuij, ut purget aërem infectum per sumnum sacrificiorum idolis immolatorū. Vel tantum ascendet ille ignis, quantum durant corpora consumptibilia & passibilia.

**I**gnorantia quædam est bona, qua ignoratur ea quæ essent occasio peccati, ut necromatiæ scientia, & huiusmodi, quæ melius est nescire, quam scire: quædam est mala, qua quis ignorat quæ scire expedit, & scire quis deberet.

**I**gnorantia indifferens est, quæ nec est bona nec mala simpliciter, qua quis ignorat ea, quæ non tenetur scire, nec sibi expedit, quia talia non sunt sibi necessaria scire ad salutem, nec nocet ignorare.

**I**gnorantia iuris potest distingui secundū distinctionem iurium, quorum aliquid est naturale, aliud diuinū, aliud humanū siue posituum: & sic quædam est ignorantia iuris necessarij ad salutem, & est ignorantia iuris non necessarij ad salutem.

**I**gnoratiæ facti sic distinguitur: quædam est facti in se, quædam est ignorantia circumstantiæ, quædam est ignorantia sequelæ ad factum.

**I**gnorantiarū quædam est affectata, quædam crassa, supina & inuincibilis.

**I**gnorantia affectata est, que voluntas vult nescire, siue vult scire actu positivo.

## DE LITERA I.

**I**gnorantia crassa & supina, est ignorantia quæ consequitur negligentiam inquirendi sciendas quæ quidem non affectatur, nec volita est, nec placet, sed tamē tolli posset, si diligens cura inquirendi & proficiendi adesset, quæ dicitur crassa, quia causatur ex desidia & pigritia laborandi ad inquisitionem sciendi, quæ frequenter adhæret crassis & pinguis hominibus.

**I**gnorantia invincibilis est, quæ manet post omnem diligentiam possibilem & debitam, & excusat à peccato. Et dicitur invincibilis, non quia simpliciter possit uiinci, sed quæ manet postquam homo fecit omnia, ad quæ tenetur pro eius expulsione.

**I**gnorantia est quedam præcedens peccatum, aliqua concomitans, aliqua sequens. Præcedens, quoniam si sciret peccans, non peccaret: & talis ignorantia est causa vel dispositio ad peccati actum, pro quanto sine ea non fieret, licet ipsa ignorantia non sit volita.

**I**gnorantia concomitans est, dum quis peccando aliqua ignorat, quæ nec sunt causa, nec effectus peccati: ut si quis peccans in die dominico, nesciret esse diem dominicam &c.

**I**gnorantia sequens, est poena vel effectus peccati, ut ignorantia quæ sequitur ebrietatem, ut in Loti cognoscente filiis.

Ignoranter

## DE LITERA I.

**I**gnoranter agere, vel ex ignorantia, est ignorantiam esse causam vel dispositionem ad huiusmodi actionem, puta quando agens non ageret, si non ignoraret: ut si quis in sexta feria comedet carnes, ignorans esse sextam feriam, non commesturus si sciret.

**I**gnorando agere, est dum ignorantia habet se ut contingenter ad operationem, ita quod propter eam agens nec agit, nec ab actione cessat.

**I**gnosci, est non imputari ad culpam.

**I**llabi aliquid alicui, est ipsum esse intimè præsens per præsentialitatē, per naturā et operationem. Exemplum: ferrum positum in forna ce & ignitum, ignis dicitur illabi ferro: in ferro enim sunt pori, secundum philosophos, in quos intrat ignis.

**I**lluminare, est illustrare.

**I**lluminatio suprema, quæ est in hac vita, est per gratiam et charitatem, sine quibus homo est in tenebris.

**I**lluminatio via est, qua homo iam incipit videre & cognoscere dilectum suum, quem prius propter rubiginē peccatorum videre non poterat, &c.

**I**llusio potest fieri tripliciter: aliquando sola agitatione hominum ostendentium & occultantium, sicut in transiectoribus: aliquando vir-

## DE LITERA I.

tute quorundam corporū minoralium, quæ certis rebus opposita faciunt eam virtute naturæ sibi indita apparere talē, qualis non est. tertio aliquido sit illusio ex operatione dæmonū.

Imago est quælibet similitudo: & non ē conuerso, quia imago addit esse expressum ab alio.

Imaginari est alicuius rei similitudinem mente comprehendere.

Imaginatio idem est quod phantasia. Est autem imaginatio de natura primorum motuum: est potentia apprehensiva, in qua imaginationes rerum sensibilium reseruantur.

Immediatè dicitur sine medio, uel cōtinuo, nullo spatio interiecto.

Immensum priuatiū sumptū non habet mensuram, est tamē aptum natum habere. Immensum negatiū sumptū, est quod non est mensuratum, nec est aptum natum mensurari: & sic etiam Deus est immensus, & etiā infinitus, negando actum, potentiam, & aptitudinem: non tamen est immensus priuatiū, nec infinitus. Immensum positiū est, quod habet summam plenitudinem perfectionis & entitatis sine termino & sine fine: et sic Deus est immensus solus. Immensum autem negatiū bene dicitur de ente prohibito, puta chimæra.

Immutabile priuatiū sumptū, ualeat illud quod nō mutatur

## DE LITERA I.

mutatur, tamē aptum natū est mutari: sic Deus nullo modo est immutabilis. Negatiuē dicitur illud immutabile, quod non solum de facto, sed nullo modo etiam mutari potest: sic Deus est immutabilis.

Immutabilitas dicitur per priuationem mutabilitatis.

Immutatio sensus, est duplex: quædā quam concomitatur materialis organi transmutatio: quædam quā talis transmutatio non cōcomitatur, sed petitur sensus tantum passione animali.

Impassibilitas est, qua quālibet passionē præuenit virtuosus.

Impeccabilitas dicitur impotentia peccandi.

Impeccabilis est, qui non peccat.

Imperium est actus rationis ordinantis, cū quādam motione ad aliquid agendum.

Impletio mandatorū Dei dupliciter accipi potest: uno modo quo ad substantiam actus præcepti: sic audiens missam in die dominica, subueniens parentibus &c. hæc, etiam quacunque intentione quis hoc faciat, implet præceptum, faciendo actum præcepti. Alio modo fit impletio præcepti, quantum ad intentionem præcipientis. Intendit autem Deus præcipiēs in omni præcepto, ut illud obseruādo mereamur ad vitam æternam ingredi.

## DE LITERA I.

**I**mportunitas est euagatio mentis ad illicita, secundū quod in arce mentis residet, volentis ad diuersa se transfundere.

**I**mprudentia est defectus intelligentiae & solertiae, pertinēs ad negligentiam et inconstantiā.

**I**mprudentia sumitur tripliciter: negatiue, priuatiue, et contrariē. Prima non est peccatum: secunda est peccatum ratione negligētiae: tertia vero secundum se est peccatum mortale, si sit contra praeceptum Dei: aliter est peccatum veniale.

Inhibilis idem est quod ineptus.

**I**nanimis gloria est inordinatus appetitus manifestationis propriæ excellentie.

**I**ncantatio est res superstitionis & illicita, quæ continet aliquid ad dæmones pertinens, vel nomina ignota, vel aliqua falsa, aut vana, vel aliqua signa, præter crucem.

**I**ncarnatio est dependentia humanæ naturæ, ad personam alterius naturæ, ut ad terminantem eius dependentiam, ipsam sustentificando. Vel sic: est humanæ naturæ sustentificatio à persona extrinseca alterius naturæ.

**I**ncarnari, est terminare dependentiam suppositalem naturæ assumptæ: ex quo sequitur, quod incarnatio nō est unio naturæ humanæ ad personam Christi, ita ut fiat persona Christi.

**I**ncarnatio, animatio & humanatio sic differunt.  
Incarna-

## DE LITERA I.

Incarnatio dicitur respectu carnis assumptæ:  
animatio dicitur respectu animæ unitæ: huma-  
natio dicitur respectu assumpti hominis, vel  
verius respectu assumptæ humanitatis.

Incestus est consanguineorū vel affiniū abusus.  
Incipiens idem est quod inchoans: vnde incipi-  
entium status.

Incongruitas duplex est: vna discohæretia ac-  
cidentiū: altera, ex discohæretia intellectuum.  
prima tollit veritatem & falsitatē, secunda ha-  
bet falsitatem coniunctam.

Inclinatio uno modo nihil est aliud, quam esse  
in potentia ad aliud, sine omni actiuitate ad con-  
trarium. Secundo modo, prout addit actiuitatē  
ei, quod inclinatur: et sic inclinari, est esse in  
potentia naturali ad aliquid, respectu cuius ha-  
bet actiuitatem.

Inconsideratio est speciale peccatiū impruden-  
tiæ, sicut & inconstancia.

Incorporeū esse dicitur aliquid dupliciter. Uno  
modo, quod non indiget solatio corporis, nec  
propter se, nec propter alios: et ita solus Deus  
est incorporeus. Alio modo, quod non indiget  
propter se.

Incorruptio est integritas & perfectio: vna est,  
quam tenemus in via: altera, quam possidebi-  
mus in patria.

## DE LITERA I.

Incubus dicitur dæmon coiens cū muliere: sive  
cubus, dæmon coiens cum viro.

Indeuotus est, qui accedit ad eucharistiā cum  
peccandi proposito.

Indignatio est dolor perturbās propter res se-  
cundas indignē collatas.

Individuum est id quod individuum est in se, &  
individuum à quolibet alio ultima divisione.

Induere Christum, est aliquem habitū accipere,  
per quem homo fiat aliquo modo conformis  
Christo.

Indulgentia est quedam remissio pœnæ debitæ  
pro peccato post cōtritionem habitā de Deo.  
Item, indulgentiæ quandoq; sonant remissionē  
pœnæ, quandoq; concessionem gratiæ, quan-  
doq; dispensationem.

Indurare accipitur pro non misereri.

Industria est frequens exercitum circa rem ho-  
nestam.

Inesse aliquid alteri, tripliciter cōtingit: per po-  
tentiam, præsentiam, & essentiam.

In eternum quandoq; significat interminabili-  
tatem, quandoq; vitæ diuturnitatem.

Inexistentia quedam est per continentia, quo-  
modo locatū est in loco: quedam per intimā præ-  
sentia cum carentia cuiuscunq; distatiæ, sicut  
angelus est in loco, & accidens in subiecto, &  
forma

## DE LITERA I.

forma in materia.

Infamia est lœſe dignitatis qualitas reprobata, quantum ad uitam et mores, per argumētum à contrario sensu. Sic fama est illæſe dignitatis status, vita & moribus cōprobatus, & in nullo diminutus.

Infamatus est, qui de crimine aliquo publico accusatur. Infamis autem non est propter talem impositionem criminis, sed vel per crimen publicum publicè commissum: ut forte si publicè periurauit &c.

Infernus, est horridus, tenebrosus et pœnalis locus dæmonum: & est quadruplex. Profundissimus, qui est damnatorū, in quo sunt tenebræ, & quantum ad carentiam diuinæ visionis, & quantum ad carentiam gratiæ, & cum hac pœna sensibilis: & hic est in medio terræ. Secundus isto inferior est limbus puerorū, in quo est nulla pœna sensus, sed pœna danni, quæ est carentia diuinæ visionis & beatæ fruitionis, eò quod perpetuè peccato originali maneant maculati. Tertius super huc, in quo sunt tenebræ carentiæ diuinæ visionis, non autem tenebræ gratiæ, sed est ibi pœna sensus: in quo sunt animæ purgandæ, & pœna damni, utraq; tamen temporalis. Adhuc supra hunc est quartus, tenebrosus

## DE LITERA I.

nebrosus quantum ad carentiam huius gloriae,  
et non gratiae, et in quo nulla est poena sen-  
sus, in quo fuere patres ab omni debito peccati  
purgati: ad hunc descendit Christus.

Infidelis primò dicitur qui caret fide: secundò,  
qui caret sacramento fidei, id est, baptismo.

Infinitum est, cuius semper secundum quantita-  
tem accipientibus, est aliquid accipere extra.  
Item, infinitum sumitur dupliciter: uno modo  
in duratione, quia durat aeternaliter: alio mo-  
do, quia mouit tempore aeterno, et sic solae po-  
tentiae actiue sunt infinitae, sicut intelligentiae  
et corpora coelestia, &c.

Infinitum esse simpliciter, est proprium Dei.

Infinitas aetualis est in cognitione diuina, quia  
actualiter cognoscit Deus infinita possibilia.

Ingenitum uno modo omne id dicitur, quod no-  
est genitum: et sic essentia diuina est sapientia  
ingenita. Alio modo ingenitum dicitur, quod  
est non genitum, et est generans. Primo modo,  
filius est sapientia ingenita: secundo modo, filius  
non est sapientia ingenita.

Iniquitas, in proximum est: peccatum, in seipsum.  
Iniustitia est, per quam aliena singuli contra le-  
ges retinent.

Innascibile vel innascibilitas, primò est res no-  
nata: secundò est res non producta, nec per pro-  
ductionem

## DE LITERA I.

ductionem communicata, nec producentis vel  
producti constituta.

Innocentia primo modo sumitur pro innocētia  
per essentiam: sic dicitur esse bonitas, cui ex se  
annexa est omnis perfectio, et cui repugnat na-  
turaliter omnis imperfectio sive miseriæ, sive  
culpæ, sive cuiuscunque alterius, tam potentia  
quam actu: et sic solus Deus est innocēs. Secun-  
do capitulatur innocētia pura per participationē,  
carens omni miseria tam culpæ quam pœnæ,  
tam actu quam habitu, sive potētia sive potesta-  
te: hæc sola inuenitur in beatis spiritibus. Ter-  
tiò capitulatur pro statu, qui caret vitijs et pecca-  
tis: tamen ille status est mixtus multis miserijs  
pœnalibus. Quarto modo, pro statu carente  
culpa et miseria pœnæ passibilis.

Insensibilitas est vitium, quo prætermittuntur  
necessaria vitæ cōtra rationē, ideo est peccatū.

Inspirare idem est quod spiritum facere, et eum  
corpori vnire.

Instans duplex est: unum sequens mobile, idem  
numero, realiter differens ratione: alterum con-  
tinuans tempus, non idem, sed labans cum eo.  
Alias sic describitur: Instans, est aliquid indiut  
sibile, habens connexionē ad tempus, non qui-  
dem pars temporis, sed initium vel terminus, à  
quo sine reali discontinuazione temporis, par-

## DE LITERA I.

tes temporis ab anima numerantur.

Instans æternitatis, est ipsa æternitas, quæ Deus est.

Instinctus, est uehemens ac fortis inclinatio liberi arbitrij mediatè vel immediate ad aliquæ liter se habendum vel non habendum.

Instinctus malus, est instinctus directè uel indirec-  
tè ad peccatum, vel retrahens à virtute : &  
idem est quod tentatio.

Instinctus bonus, est instinctus promouēs directè  
vel indirectè ad virtutē, vel à uitio diuertens.

Instinctus diuinus, propriè est instinctus factus  
immediate & per se à Deo tangente animā &  
exuscitante, & quodammodo actuante eam ad  
obediendū sibi cum omni subiectione superbiæ  
contraria. Inspiratio spiritus sancti idem.

Instinctus angelicus, est instinctus factus ab ange-  
lo bono, principaliter tamen à Deo, inducens  
animam ad obediendum Deo.

Instinctus naturæ proprius et intrinsecus, est in-  
clinatio fortis rei competens essentialiter sibi  
& extrinsecè ex dono Dei, ad finem suum me-  
diatè vel immediate consequendum. Appeti-  
tus naturæ idem est, quod instinctus naturæ.

Intellectus, est vis animæ, quæ inuisibilia per-  
cipit: vel, Intellectus est habitus circa princi-  
pia intelligibilia.

Intelle-

## DE LITERA I.

Intellectus uno modo est donū spiritus sancti, pro dono infuso, quo perficitur speculativa ratio ad apprehensionem veritatis: sicut ratio habet perfici in apprehensione veritatis per dominum consilij. Secundo modo dicitur intellectus, notitia principiorū. Tertio modo capitur intellectus pro actu intelligēdi. Quarto modo, pro potentia intelligendi animæ.

Intellectus noster duplex est, humanus & fidelis: ut, humanus intelligit conuersus ad imaginem & sensum, & iudicat secundum causas intrinsecas & inferiores, & ideo deficit in assentiendo, quia non assentit secundū manuductionem, quae ortū habet ab imaginatione & sensu: & sic iste vel iste articulus dicitur esse supra intellectum & contra intellectum, secundum quod est intellectus humanus. Si autem loquimur de intellectu secundum quod est fidelis, sic dicendum est, quod assentit secundum dictamen fidei, & secundum regulam veritatis æternæ, ideo sufficit in assentiendo, & concordat in ratiocinando. Intellectus enim fidem habens, statim credit, ex quo propositum est sibi, scilicet quod Christus est sub speciebus panis et vini, ad hoc adiutus lumine fidei.

Intellectus quidam est practicus, quidam speculatorius.

## DE LITERA I.

**I**ntellectus speculatius, est solum respectu veritatis, ut verum est.

**I**ntellectus practicus dicitur confessus se habens appetitum, id est conformis et protensus in appetitum: cuius obiectum est non solum verum sub ratione veri, sed sub ratione boni.

**I**ntelligere, uno modo accipitur pro simpliciter cognoscere: illo modo precedit assensum fiduciæ, quæ ex auditu est. Alio modo idem est quod ratione apprehendere, vel prævia ratione cogitare.

**I**ntelligentia est, per quam animus ea proficit quae sunt. Et potest intelligentia quatuor modis capi. Primo pro natura, more spirituali, intellectuali sive rationali, nata per se existere: sic intelligentia est quedam portiuncula animæ, qua in quiete summa inhæremus. Inde est quod angelici spiritus, intelligentiae nuncupantur. Secundo modo, pro potentia, quæ est cognoscitiva cuiuscunq; cognoscibilis: et isto modo solus intellectus est intelligentia. Tertio modo, pro ipso intellectu, habente actu intellectione genitam seu informatam actuali notitia. Quarto, pro sola actuali intellectione.

**I**ntelligentia simplex, est vis animæ cognitiva, suscipiens immediate à Deo naturalem quandam lucem, in qua et per quam principia pri-

## DE LITERA I.

ma cognoscuntur esse vera & certissima, terminis apprehensis.

Intentio varijs modis accipitur: uno modo pro potentia intende[n]te: secundo modo pro habitu quo intendit: tertio modo pro actu intendendi: quandoq[ue] pro obiecto quod intenditur.

Intentio est actus potentiae liberae, quae fertur in aliquid: fertur autem in aliquid velut in obiectu, vel in terminum, vel in finem.

Intentio, uno modo accipitur pro volitione finis simpliciter: alio modo pro volitione finis, ad quem aliquod medium ordinatur.

Intentio, uno modo dicitur bona, ratione finis, quia est volitio talis finis, quam recta ratio dicit volendum, non curando de medijs: sic omnis volitio honestatis, pacis, dilectionis Dei et proximi propter se, dicitur intentio bona. Secundo modo dicitur bona, non tantum ratione subtracti, sed etiam ratione connotati: hoc est, non tantum ratione eius, quod volit, sed etiam ratione mediorum, quae ordinantur in sic volitu.

Intentio tenebrosa est, quae lumen non participat illius ad quae ordinatur actu, vel habitu, vel virtute in Deum: de hac dicit dominus Matth. 6. Si lumen quod in te est, sunt tenebrae etc.

Interdictum, est censura ecclesiastica in peccatum contumacie vel offensae lata, arcens pre-

## DE LITERA I.

**I**n pue populum, ne communicet sacramentis.  
Inter dictum est duplex, alterū generale, alterum  
speciale. Generale est, quando regnum, prouin-  
cia, terra & castrum interdictur. Speciale est,  
cum inter plures ecclesias paucæ vel vna in-  
terdicuntur. Sed si villa vel castrū vnam tan-  
tum habet ecclesiam, & illa interdictio suppo-  
nitur, vocatur generale.

**I**ntrinsecum dicitur, quod est de essentia rei, pu-  
ta resmet vel pars eius essentialis per opposi-  
tum mortificatur extrinsecum.

**I**nuidia, est tristitia de bonis alienis.

**I**nuidentia, est ægritudo suscepta propter alte-  
rius res secundas, quæ nihil noceant inuidenti.

**I**nuidentia fraternæ charitatis seu gratiæ est du-  
plex: aut enim ex hac oritur, quia per gratiam  
fratris putat aliquod bonum in se vel in alio,  
quod appetit, minui, & sic pertinet ad inui-  
diam. Alio modo, quia tanta malitia deprava-  
tus est talis inuidens, quod bonū quod in se non  
videt, nulli alij inesse velit, licet nihil incōmo-  
di ex hoc sibi accidat.

**I**nvoluntarium est, contra quod voluntas sim-  
pliciter remurmurat.

**I**nuocare, est in se vocare per effectū & deuo-  
rum cultum.

**I**ra, est immoderatus animi motus, concitatus ad  
pœnam

## DE LITERA I.

*pœnam seu vindictam.*

*Ira subita est in hominibus qui facile irascuntur  
& inflammantur.*

*Ira per zelum, est velle punire peccata aliena.*

*Iracundia, est extensio iræ.*

*Irasci, est appetere vindictam.*

*Iregularitas, est impedimentum vel repulsio  
executionis diuini officij seu sacramenti, ex ca-  
nonica institutione proueniens.*

*Iter salutis, quo itur in cœlum.*

*Iter perditionis, quo itur ad damnationem.*

*Iubilatio, est declaratio quædam & illustratio  
gaudij concepti.*

*Iucunditas, est gaudiū ad exteriora, adeò pro-  
rumpens, ut alios excitet ad gaudendum.*

*Iudex ordinarius est, cui ex dignitate vel offi-  
cio conuenit iudicare.*

*Iudex delegatus est, cui ex speciali commissione  
ordinarij conuenit in certa causa, vel etiam ge-  
neraliter cognoscere seu iudicare.*

*Iudex arbitrarius, qui nullā habens potestatem,  
consensu litigantium in iudicem eligitur.*

*Iudicium generaliter accipitur pro quacunq;  
certa notitia.*

*Iudicium rationis est duplex: quoddam est in so-  
lo dictamine, & hoc est rationis: aliud est secū-  
dum iudicium diffinitiū, ut sicut vel non fiat,*

## DE LITERA I.

**E**t aliud nunquam est sine voluntate: quantumcunq; enim ratio deliberat, in eā partē determinat diffinitiū iudiciū, quā praeoptat volūtas. Iudicium quoddam approbatum est, quoddam condemnatiū.

Iudicium in præsenti, est iudicium in pœnitētiæ foro. Aliud est extremū, quod erit separatio bonorum à malis.

Iudicij generalis locus probabiliter æstimatur terra promissionis, siue vallis vel pars Iosaphat.

Iudicia Dei dicuntur dupliciter: uno modo iudicatiua præcepta, quæ erant in lege: alio modo dicuntur diuina dispositio, et diuini constituti diffinitio: et ista sunt incomprehensibilia, quantum ad cognitionem.

Iudicium temerariū seu suspicīsum est, cūm aliquis iudicat de his, quæ sunt dubia vel occulta propter aliquas leues coniecturas.

Iugum status humani, est corruptio vel mortalitas, et multiformis infirmitas, quibus totum humanum genus subiacet.

Iugum cordis peruersi, est voluntas propria vel consuetudo prava, qua ratio nostra captiuatur, et sepissimè dicitur quòd non vult.

Iugum seculi, est cupiditas.

Iugum Iudei, est obseruatio legis ad literam.

Iugum diaboli, est peccatum vel iniquitas.

Iugum

## DE LITERA I.

Iugum inferni, est æterna damnatio.

Iurare, significat omnem actum iurandi, siue bonum siue malum, siue indifferenter. Iurare autem, est Deū in testē vocare, et est actus latrīæ.

Iurare per creaturam, est creaturam testem veritatis adducere.

Iurare in vanū, est Deum in falsitate inuocare.

Iuramentum est affirmatio vel negatio de aliquo, sacræ rei attestatione firmata. Vel iuramentū est assertio dicti humani, quod ipsum sit verum, & hoc ultimato.

Iuramentum quoddam est assertorium, & est de præsenti: promissorium est, quod est de futuro.

Iuramentū dolosum est in assertorio, quando iurans oppositum eius sentit, quod iurando asserit. In promissorio, quando iurans se aliquid futurum, in ipso actu iurandi intendit se obligare ad illud quod iurat: & illud iuramentum quamvis obligat ad poenam æternam simpli- citer, & ad seruandū promissum in foro ecclesiæ exteriori, non tamen obligat ad secundum in foro conscientiæ interiori.

Iuramentum incautū potest dici dupliciter: vel quia transit super materiam omnino illicitam: puta aliquis iurat se facturum oppositum alii- cuius præcepti, vt qui iurat se velle aliquē occidi- dere, vel adulteraturum: vel qui transit super

## DE LITERA I.

materia quæ de se est licita, sed tamen iuranti non est licita: puta aliquis abiurat opera perfectionis, scilicet nūquām intraturū templum, nunquam uisitaturū infirmum &c. in hoc ponit obicem spiritui sancto & eius motioni. Est quoq; incautum iuramentum, quando quis iurat aliquid se facturum quod non potest facere, & quando iurat & putat se posse.

Iuramentum coactum, est iuramentum metu extortum: ut si quis iurat aliquid esse verum, aut se aliquid facturum, inductus metu alicuius mali quod timeret incidere, etiam si non iuraret.

Iurgium leuius quid est, quam lis: quia iurgium etiā inter beneulos et propinquos esse potest.

Iurisdictio est facultas et potestas iuris dicundi. Ius dicere enim, est præesse iuri dicundo, & legibus gubernare, & iustitiam ministrare.

Ius est potestas seu facultas propinqua, conueniens alicui secundum dictamen primæ iustitiae.

Ius diuinum, est ius cōpetens alicui ex lege diuina.

Ius Euangelicum, est ius competens alicui ex lege charitatis. Ius diuinum & Euangelicum idem sunt.

Ius posituum & humanum idem sunt, nimirum institutiones humanæ.

Ius naturale est, quod ubiq; eandem vim habet: & hoc dicitur tripliciter.

## DE LITERA I.

Ius naturale uno modo est, quod in lege & Euadlio continetur. Secundo modo est, quod est commune nationum: & hoc ius est, quod dictat rectora ratio. Tertio modo est, quod natura docuit omnia animalia.

Ius ciuile, est sociale ad uitam, & sufficiens ad libertatem & aequalitatem, vel secundum proportionem, vel secundum numerum.

Ius gentium, est sedium occupatio, ædificatio, munitione, bella, captiuitates, seruitutes, postliminia, foederis pacis, inducæ, legatorum non uiolandorum religio &c.

Ius militare, est belli inferedi solennitas, foederis faciendi nexus, signo dato egressio in hostem, vel pugnæ cōmissio: item, signo dato receptio.

Ius patronatus, est potestas præsentandi clericum ad beneficium ecclesiasticum.

Iustitia qua homo iustificatur, est dilectio Dei et proximi: vel est habitus per quem iustorum operationes fiunt, & per quem agunt & volunt res iustas.

Iustitia hominis est, qua acquiritur regnum cœlorum: quæ cōsistit in tribus, in munditia cordis, operatione bonorum, & patientia in aduersis propter Deum.

Iustitia est quedam innata, quæ est ipsa voluntas nostra vel rectitudo naturalis. quedam ac-

## DE LITERA I.

quisita, quæcūq; virtus moralis, per quam possumus recte agere: et hoc modo iustitia est virtus communis. quædam infusa, quæ dicitur gratuita, id est, charitas.

Iustitia legalis est, quæ consistit in operationibus quæ fiunt secundum legem.

Iustitia essentialis vel primaria, est perpetua et constans voluntas, ius suum vnicuiq; tribuēs.

Iustitia participata, est habitus vel tanquam habitus conformis diuinæ iustitiæ, eiusq; imitatus per participationem, quo habitu inclinatur, habens eam facere, vel ius reddere, ita quodd ius est velut actus, vel usus, vel effectus, vel titulus talis iustitiæ.

Iustitia originalis, est quidam habitus supernaturalis, immediate à Deo infusus ipsi animæ Adæ, faciens perfectam pacem et tranquillitatē inter partem sensualitatis et rationem, et voluntatē et partē intellectualē: et istud donum quo ad aliquid erat mobilius habitu charitatis, quia faciebat perfectā pacem inter partem superiorem et inferiorem.

Iustitia publicæ honestatis, est propinquitas ex sponsalibus proueniens, robur trahens ab institutione ecclesiæ, propter eius honestatem.

Iustificare, est iustum facere.

Iustificatio, est quædam dispositio in iustificato, à iustifi-

## DE LITERA I.

à iustificante effectuē, sed à iustitia formaliter,  
quæ uocatur charitas.

Iustus est, qui iura seruat, vel qui præditus est  
iustitia, vel qui seruat mandata Dei.

## DE LITERA L.



AICVS est homo non habens  
ordinem sacramentalem in eccl<sup>e</sup>  
sia Christi.

Lasciuia, est indecens motus ani-  
mi dissoluti, & corporis, ex intemperantia car-  
nali procedens.

Latria dupliciter potest accipi: uno modo pro  
cultu siue reuerentia exhibita Deo in actu in-  
teriori, ratione domini summi, vel boni sum-  
mi: vel pro reuerentia exhibita Deo actu exte-  
riore, vel habitu inclinante ad talē actum. Ter-  
tio latria propriè sumpta, est reuerentia soli  
Deo debita atque exhibita.

Laus, est sermo elucidans magnitudinē virtutis.

Legitimum dicitur, quod est legi conforme.

Lætitia, est gestientis animi elatio voluptaria.

Leuita, diaconum sonat nunc.

Lex, est ratio summa insita à natura, quæ iubet  
ea quæ facienda sunt, & prohibet contraria.

Lex obligatoria, est signū verum reuelatiū crea-  
turæ rationali, quod est motificatiū rectæ ra-

## DE LITERA L.

tionis dictantis ligari eam ad aliquid agendum  
vel non agendū, ad vitam æternam consequen-  
dam, & damnationem evitandam.

Lex præceptua, propriè est lex libero arbitrio  
insinuata signo, verbo, aut scripto, iubens sub  
pœna dissolutionis amicitiæ inter Deum & li-  
berum arbitrium, ne pro commodo vel incom-  
modo violetur.

Lex diuina, est signum verum creaturæ rationa-  
li reuelatum, motificatuum rectæ rationis di-  
uinæ, volētis teneri illam seu ligari ad aliquid  
agendum vel non agendum, pro consecutione  
felicitatis æternæ.

Lex æterna, est diuina mens seu uoluntas ordinis  
naturalem seruari iubens, turbari vetans.

Lex prima, est beneplacitū seu voluntas supre-  
mi domini Dei, præstituentis rebus à se condi-  
tis fines suos & motus et operationes ad illas.  
Lex Euangelica, dicitur lex perfectæ libertatis,  
quia liberat à seruitute prævaricationis.

Lex creata seu participata, est participatio seu  
emanatio, vel mutuatio, vel similitudo quædā  
analogia legis æternæ, vel effectus eius, ordi-  
nem in rebus conditis aut seruans, aut seruare  
dictans.

Lex naturalis obligatoria, est signum naturali-  
ter motificatuum rectæ rationis diuinæ, vo-  
lentia

## DE LITERA L.

Lentis creaturam rationalem ligari ad aliquid agendum vel non agendum pro consecutione sui finis naturalis, qui est felicitas humana, siue monastica, siue economica, siue politica.

Lex naturalis animalium est, quod habet quodlibet animal non impeditum vel indispositum.

Lex humana, vel positiva, vel præceptiva, est signum verum, humana traditione et autoritate immediate constitutum, motificatum rectionis rationis, volentis rationalem creaturam ad aliquid agendum vel non agendum, propter finem aliquem rationi consonum vel temporalem, obligare.

Lex priuata, est lex per diuinam reuelationem accepta, ad regimen personæ singularis vel paucorum.

Lex ciuilis et temporalis, est lex humana ad finem naturalem socialis vitæ bene regulandæ immediate et principaliter ordinata, et per illum qui curam communitatis gerit sufficienter promulgata.

Lex charitatis, est ius propinquum fruendi Deo propter se, et ceteris omnibus utendi propter Deum quomodo cumque iuste placuerit, ad meritum vitæ æternae.

Lex consiliativa, est lex libero arbitrio insinuata, cuius obseruatio laudem habet, et violatio

## DE LITERA L.

culpam non habet.

Lex talionis est, qua par poenare redditur.

Liber uitæ, est notitia vitæ, quæ prædestinavit ad vitam quos elegit.

Liber mortis est duplex: unus dicitur secundum æternum propositum, in quo Deus ab æterno nouit reprobandos, & abstinentes, & æternam liter puniendos: & alter dicitur liber mortis, secundum præsentē dispositionem, in quo sunt scripti peccatores temporaliter, secundū quod scripti sunt extra gratiam in peccato.

Liber consciëtiæ, est ipse intellectus, in quo sunt vel fuerunt scriptæ omnes cogitationes bonæ vel male, quæ in nobis fuerunt: & est ipsa voluntas, in qua sunt vel fuerūt omnes affectiones bonæ vel male, quas nunquam habuimus: ita quod ex ipsis duobus codicibus componitur liber conscientiæ omnium meritorum, quorum in iudicio erit lectio & memoria.

Liberalitas est virtus beneficiorum erogatrix.

Libertas est naturalis facultas eius quod cuique facere libet, nisi quod vi aut iure facere prohibetur.

Libertas à peccato est, que supponit pro voluntate, & connotat eam esse in gratia.

Libertas à miseria est, quæ connotat eam esse sine poena.

Libertatis

## DE LITERA L.

**L**ibertas à necessitate cōnotat eā non posse cogi  
Liberum arbitrium, est potestas seruandi recti-  
tudinem voluntatis propter ipsam rectitudi-  
nem: hoc est, potestas seruandi rectitudinem,  
id est, conformādi se rectitudini primæ seu in-  
creatæ, quantū est ex sui natura propter ipsam  
rectitudinem.

**L**ibido est quicquid libet.

**L**ignum vitæ habuit virtutem conseruandi vi-  
tam hominis in statu innocentiae perpetuò.

**L**imbus est pars inferni, & dicitur limbus re-  
spectu oneris caliginosi.

**L**imbus parvulorū, est locus proximus damnato-  
rum, in quem descendunt parvuli, qui deceidunt  
in peccato originali, quibus nulla pœna debe-  
tur, eò quod nullum peccatum actuale commi-  
serunt: debetur tamen eis pœna damni, quæ est  
carētia diuinæ visionis, et beatificæ fruitionis;  
eò quod perpetuò maneat peccato originali  
maculati.

**L**imbus patrū dicitur, ad quem sancti patres de-  
scenderūt, antequam Christus virtute suæ pas-  
sionis ianuam regni coelestis aperuit: in quo lo-  
co erat pœna damni tantum, & eadem tempo-  
ralis: quia ad hunc locum Christus post paſſio-  
nem suam descendit, & sanctos patres cum cæ-  
teris fidelibus ibidē existentibus inde liberauit:

## DE LITERA L.

Locale dicitur, quod continetur à loco, mensuratur loco, conservatur loco, & terminatur loco.  
Loqui mētaliter, accipitur ad similitudinem locutionis vocalis. Loqui autē vocaliter, est proferre verba vocalia, ut aliquis audiat vocali auditione, & intelligat illud quod per voces significatur. Sic loqui mētaliter, nihil est aliud, nisi habere vel formare in se verbum mentale, ut aliquis audiat mētaliter, & intelligat quod per verbum mentale significatur. Est autē verbum mentale, cogitatio actualis: vnde mentaliter loqui, est actualiter cogitare, ut ipse vel alius intelligat, quod per cognitionem significatur.

Loqui, uno modo fit per actum in se, siue intrinsecum: secundo modo fit per actum extrinsecū.

Lumen naturale, dicitur lumen siue cognitio sine errore, intellectui possibilis, de communi cursu naturae.

Lumen est duplex, corporale, & spirituale. In corporali verum est, maius lumen obscurat minus: in spirituali non est verum.

Lux, est qualitas corporis lucidi.

Lucidum, est corpus habens lucem.

Luminosum, est ipsum corpus illuminatum.

Lux uno modo accipitur pro forma substantiali, quæ dat esse rei. alio modo dicitur lux esse fulgur,

## DE LITERA M.

*gur, quod est circa corpus luminosum, quod se  
quitur existentiam lucis in tali numero.*

**Lumen** dicitur, secundum quod lux ipsa per suę  
multiplicationem recepta in corpore diapho-  
no illuminato.

**Luxuria** est omnis inordinata concupiscētia de-  
lectationis siue carnalis siue spiritualis.

## DE LITERA M.



**A G N I F I C A T I O** domini,  
est species pietatis, corde, ore,  
vel opere proueniens, ex consi-  
deratione vel protestatione di-  
uinæ magnitudinis & maiestatis sui dominij.

Est enim maiestas, quasi magnitudinis status.

**Maiestas** est decus vel amplitudo vel dignitas  
populi, vel senatus, vel magistratus &c.

**Malefictum**, est virtutum naturalium fascinatio  
siue obſtupantia: & fit quando diabolus per  
aliquam artem impedit naturalia.

**Malitia**, est mentis atq; animi depravatio, à tra-  
mite veritatis deuia.

**Malignus** dicitur, qui malam & prauam habet  
intentionem.

**Maluolentia**, est voluptas ex modo alterius.

**Malum naturæ**, est deformitas vel mōstruositas  
existens in aliquo ente naturali, proueniens ex-

## DE LITERA M.

Superfluitate vel diminutione naturæ , sicut  
cæcitas, claudicatio &c.

Malum pœnæ , est pœna.

Malum culpæ , est peccatum. Et dicitur malum  
culpæ , quod committitur male agendo , quale  
est homicidium &c.

Mala media sunt peccatorū occasiones , quæ in-  
ducunt ac præcipitant in mala culpæ : quales  
sunt tentationes dæmonis, mundi &c.

Mala pœnæ corporis & animæ afflictiua , sunt  
tristitia, dolor &c.

Malum culpæ concertiuē sumptum , concernit  
duo, subtractū scilicet, quod res illa est, quæ do-  
minatur à malitia , puta homo malus, vel ani-  
ma mala, aut actio mala: & connotatū, hoc est  
malitia , à qua homo peccator dicitur malus,  
& hoc modo malum idem est quod malitia.

Mandatum est commune ad præceptum vel  
prohibitionem : præceptū est tantum de præ-  
cepto affirmatiuo : prohibitio de mandato ne-  
gatiuo.

Mandatum perficere, importat meritum , & est  
mādatum ad consecutionem gloriæ obseruare.

Manducare sacramentum non sacram̄aliter,  
est manducare hostiam consecratam, quæ rea-  
liter & uerè continet corpus Christi , sine in-  
tentione generali vel speciali implicita vel ex-  
plicita:

## DE LITERA M.

plicita: sic sumunt etiam mali.

Manducare sacramentum sacramentaliter, est manducare sacramentum ut signum corporis Christi in eo realiter contenti, cum intentione speciali: & sic sumunt credentes.

Manducare sacramentum spiritualiter, duplum citer potest intelligi: uno modo ex parte modi, & sic est manducare corpus Christi, non sub propria specie visibiliter, sed sub tegumento accidentium panis inuisibiliter: & sic quicunque sumit sacramentaliter, sumit spiritualiter. Alio modo ex parte effectus, ut est manducatio quam sequitur specialis refectio & mutatio animae, quo modo sumunt, qui dignè accedunt.

Manducare dignè, est se sufficienter preparare, scilicet peccati omnis expulsione, reverentia & dilectione.

Maria primo modo dicitur maris stella, quia dicit nauigantes in hoc mundo ad portum salutis. Secundo dicitur illuminatrix, quia genuit lumen mundi.

Martyrium est actus maxime perfectionis, non quidem secundum se, sed ut imperatur à charitate.

Martyrium perfectum dicitur, quando nihil deest, quod ad illud requiritur: requiruntur autem tria pœna mortis, patiendi voluntas, & causa.

## DE LITERA M.

Matrimonium, est vinculum indissolubile inter  
marem & mulierē, ex mutua translatione po-  
testatis corporum suorum ad se inuicem facta,  
ad procreandam prolem debitē educandam.

Matrimonij cōtractus, est maris & fœminæ mu-  
tua translatio corporum suorum pro vſu per-  
petuo, ad procreandam prolem &c.

Matrimonij sacramentū est expressio certorū  
verborum maris & fœminæ ad se inuicem,  
signantium traditionem mutuae potestatis cor-  
porum ad prolem debitē procreandam ex insi-  
tutione diuina, efficaciter significans gratiam  
conferēdam mutuō contrahentibus, ad coniun-  
ctionem mutuam animorum gratiosam.

Matrimonium initiatum dicitur, quod initiatur  
desponsatione de futuro.

Matrimonium ratum dicitur, quod raticatur  
in consensu de præsenti.

Matrimonium consummatū dicitur, quod carna-  
li copula consummatur.

Matrimoniū legitimū & non ratum, est quod  
legali institutione vel prouinciæ moribus con-  
trahitur, quod tamen separabile est.

Matrimonium ratum & non legitimū, est ma-  
trimonium contractum inter fideles, qui sacra-  
mentum baptismi suscepereunt, contemptis so-  
lennitatibus, quæ debent adhiberi secundū con-  
suetudinem

## DE LITERA M.

Suetudinē ecclesiæ & patriæ morem, ut clandestinū.

Matrimonium clandestinum triplex esse dicitur: primū quod contrahitur sine præsentia testiū: secundum, quod contrahitur non adhibitis solennitatibus consuetis, quamvis contractū fuerit in præsentia testiū: tertius, quod fit sine præmissa denunciatione.

Matrimonium quoddam carnale est, quod Deus voluit esse signum spiritualis.

Medium quoddam est colligantiae, quoddam congruentiae.

Medium colligantiae est, per quod externa ligantur ad inuicem, sicut duo corpora ad inuicem iunguntur interueniente glutino.

Medium congruentiae dicitur, ratione cuius congruum est aliqua duo externa produci ad aliquam vniōnem: sicut mulier nobilis mediante nobilitate congruentiam habet, ut sit sponsa regis, cum tamen rex sibi vnitur, magis vnitur sicut coniugi, quam sicut nobili.

Medium intrinsecum est aliquid, quod est pars naturæ assumptæ: & sic ponere medium in incarnatione, nihil aliud est, quam ponere, quod una pars naturæ assumptæ assumitur mediante alia, puta caro mediante anima.

Medium extrinsecum est dispositio aliqua requi-

## DE LITERA M.

sita ad ynionem, distincta à natura assumēda,  
et ab assumente, vt in proposito medium ali-  
quod sit, vel habitus præparans naturam vt as-  
sumi possit.

Medium cognitionis est quadruplex: vnum ele-  
uans, alterum contemperās, tertium adducēs,  
quartum coniungens. Exemplum est in osten-  
sione coloris.

Medium est quoddā in contractibus, vt est pre-  
cium, et est tanquam medium adæquatum.

Mediocritas est medium inter excessum et de-  
fectum.

Meditatio est vehemens animi applicatio ad di-  
uinum aliquod inuestigandum, cognoscendum  
fructuose, et degustandum.

Mendacium est falsa vocis significatio, cum  
intentione fallendi.

Mendacium perniciosum, est mēdaciū quod no-  
cet ex se cui dicitur, aut illi à quo dicitur, siue  
noceat ad animā, siue ad mores, siue ad corpus,  
siue ad exteriōres res coniunctas vel possessas.

Mendacium officiosum est, quod alicui prodest,  
et nulli nocet.

Mendacium iocosum est, quod fit ad recreationē  
sine deceptione eius cui profertur, vel cum de-  
ceptione sine noctumento notabili, in quo iocan-  
tur illi, qui sciunt alterum decipi,

Mendacitas

## DE LITERA M.

Mendacitas est duplex, scilicet corporalis & spi-  
ritualis.

Mens primò accipitur pro tota anima, tam pro  
potentijs superioribus, quam inferioribus: se-  
cundò pro quacunq; potētiā cognoscituā vel  
iudicatiuā: tertio pro parte superiore animæ  
sive rationis: quartò pro memoria.

Merces est illud quod recompensatur pro operis  
retributione: igitur reddere mercedē, est actus  
iustitiae.

Merces duplex est, creata & increata, tempora-  
lis & æterna.

Mercenarius dicitur, qui principaliter habet  
oculum ad mercedem.

Meritum est actio, qua iustum est, ut agenti ali-  
quid detur. Vel, meritū est actus laudabilis, fa-  
ctus ad bonum alterius verē vel interpretatiū  
vel reputatiū, pro quo exigitur præmiū. De-  
meritū, per contrariū, est actus vituperabilis,  
factus verē vel interpretatiū vel reputatiū  
ad malū alterius, pro quo exigitur supplicium.

Meritum ex condigno, est meritum pro quo exi-  
gitur præmium ex debito; & hoc dupliciter:  
ex debito pacti, & legis & domini dignifican-  
tis actum ad tale præmium: vel ex vigore iusti-  
tie, sic, si quod non redderetur præmium, iniu-  
stè ageretur cum merente. vnde sic quoq; desi-

## DE LITERA M.

nitur : Meritum condigni est actus à voluntate elicitus , vel libere procedens , ad præmium alicui secundum debitum iustitiæ retribuendum . Meritum de congruo , est meritum pro quo exigitur præmiū de congruo . Vel , meritum de congruo est actus liberè elicitus , acceptatus ad aliquid retribuendum non ex debito iustitiæ , sed ex acceptantis liberalitate .

Meritum temporale est actus laudabilis moraliter bonus , pro quo significatur quis ad præmium temporale .

Mereri tripliciter contingit : uno modo simpliciter abusiuè , secundo modo partim propriè , partim impropriè , tertio modo simpliciter propriè .

Mereri simpliciter abusiuè dicitur , qui facit aliquod opus bonum de genere bonorum , tamen facit illud malo animo , id est , mala intentione , sicut ille qui dat eleemosynam cum murmure .

Mereri partim propriè , et partim impropriè dicitur , qui facit opus de genere bonorum & bona intentione , veruntamen non ex charitate : sicut aliquis peccator facit opera de genere bonorum & propter Deum , in quibus de cōgruo se disponit ad gratiam .

Meretur simpliciter propriè , qui facit bonum opus ex bona intentione & ex charitate .

Meritum

## DE LITERA M.

Meritum infinitum esse dicitur, vel ratione propriæ perfectionis, id est, actus ipse dicitur infinitus: vel ratione personæ merentis, vel ex voluntate acceptantis.

Metus est expectatio mali, vel est opinio magni mali impendentis.

Miraculum est res, que vnde manauerit, aut quia ratione constiterit, dignoscere est arduū. vel miraculum est, quicquid præter naturæ usum euenit.

Misericordia est ægritudo animi, ob alienarū miseriārū speciē: vel est tristitia in alienis malis.

Misericordia est duplex, liberans & parcens.

Misericordia liberans est, quæ totam miseriā excludit.

Misericordia parcens est, quæ parcit, sed non liberat.

Misericordia dicitur iustitia tripliciter: uno modo pro diuinæ bonitatis affluētia: secundo modo pro benignitate in supererogatione bonorum: tertio pro pietate in subleuatione malorum.

Misericordia dei est duplex, liberans, et relaxans.

Misericors est, qui compatitur alienæ miseriæ.

Miserabilis dicitur dignus miseratione.

Miser, qui in miseria constitutus est.

Missa accipitur uno modo prosacra hostia: secundo quasi transmissa: vel dicitur ab amissione ea

## DE LITERA M.

techumenorum excommunicatorū: vel à mittendo, quia in ea mittitur agnus, id est, Christus ad patrem.

Missa quædam est conuentualis, siue popularis, quæ tanquam principale Dei officium in conuentu totius populi vel parochianorum, diebus singulis celebratur: quæ & parochialis Missa, solennis, publica, & summa dicitur.

Missa quædam priuata est, peculiaris vel votiva, quæ à sacerdotibus ex speciali institutione, beneficio, vel deuotione, non sic pro toto populo celebratur.

Mollities opponitur perseverantiae.

Momentum accipitur pro instanti: deinde pro tempore inacceptibili.

Mors est recessus animæ à corpore.

Mortale uno modo dicitur naturalis aptitudo ad moriendum, secundò possibilitas ad moriendum, tertio necessitas.

Motus est actus entis in potentia.

Motus localis est coexistētia alicuius successivæ & continua diuersis locis, sine quiete media.

Motuæ vis sensitivæ est duplex: naturalis, & animalis. Naturalis est, quæ non mouet per apprehensionem, nec est subiecta imperio rationis: & talis est virtus vitalis et pulsatiua, quæ mouet arterias & cor secundum dilatationem & constricti-

## DE LITERA N.

constrictione. Animalis est, quæ mouet per apprehensionem &c.

Motus seu appetitus sensitivus, qui ex præcedenti imaginatione, vel præcedenti motu naturali consequitur.

Mundus archetypus est Deus, ut ab ipso unico & simplicissimo producibilis: est mundus exterior pro vtraq; sui parte, spirituali scilicet, & corporali.

## DE LITERA N.



ASCI vel gigni filium Dei spiritualiter in cordibus nostris, non est aliud, quam eum tanquam spirituali amicum adiutorem protectoremque & vivificatorem in anima nostra nouiter suscipere, & in habitatorem possidere.

Natiuitas hominis est triplex: una dolorosa, secunda gratiosa, tertia gloria.

Natura generaliter accipitur pro entitate: ideo natura nihil est aliud, quam id quod intelligitur in suo genere aliquid esse.

Natura primo modo accipitur pro eo quod potest distincte ac perfecte intelligi ab intellectu nostro & positivo: isto modo omnis natura positiva est natura, sic Deus & angeli dicuntur natura. Secundo modo pro aliqua substantia,

DE LITERA N.

quæ potest agere vel pati, nō modo instrumentum  
sed etiam tāquam principale agens: sic  
sola substantia de genere, substantia est natura:  
isto modo Deus non est natura, nec accidens.  
Tertio modo pro differentia specifica constitutus  
ente vnam speciem specialissimā vel subalter-  
nā, vt rationale respectu hominis. Quarto ac-  
cipitur, vt est principium motus & quietis.

Natura naturans, Deus ipse est.

Natura naturata est, quā Deus indidit creaturis.

Natura intellectualis est triplex, scilicet super-  
na, seu diuina: secunda media, seu angelica: ter-  
tia infima, seu humana.

Natura humana, est ipsa humanitas.

Natura diuina, est pelagus infinitæ substantiæ.

Naturale est, quod est secundum naturam.

Necessarium est, quod non potest nō esse: & sic  
necessariò producit, quod non potest non pro-  
ducere.

Necessitas alia est absoluta, altera ex supposi-  
tione.

Necessitas absoluta est, quando aliquid est sim-  
pliciter necessarium, ita quod eius oppositum  
includit contradictionē: vt, Deus est homo, ho-  
mo est visibilis &c.

Necessitas ex suppositione est, quādo aliqua con-  
ditionalis est necessaria, quāvis tam antecedens  
quāvis

## DE LITERA N.

quām consequens sit contingēs: ut, si Petrus est  
prae destinatus, saluabitur.

Negligentia, est amissio seu contemptus.

Neophytus, in fide nouus.

Nexus proprius dicitur de spiritu sancto.

Nobilitas est quædam maiorum claritas.

Nobilitas hominis reperitur in superiori men-  
tis apice.

Nobilitas naturalis, est eminentia quædam nota-  
bilis, homini proueniens ex perspicaci iudicio  
rationis.

Nobilitas parentalis, est præminentia quædam  
notabilis, homini proueniens ex laude condi-  
tionis parentalis, non quidem ex primis paren-  
tibus, quia communis est ad omnes.

Nobilitas honestatis, est eminentia quædam no-  
tabilis, homini proueniens ex beneplacito ho-  
nestantis ipsum vel honestantium, vel per fi-  
lialem adoptionem à principe.

Nobilitas virtualis, est eminentia quædam no-  
tabilis, homini proueniens ex assuetatione vel  
habituatione virtutum moralium.

Nobilitas supernaturalis, est eminentia quædam  
notabilis, homini proueniens ex charitate, qua  
supernaturalis gratia est, per quam homo fit  
per adoptionem filius Dei, fit anima, sponsa  
Christi, fit templum spiritus.

## DE LITERA N.

Nobile est id, quod ex bono prodijt genere.  
Nomen uno modo accipitur pro voce significante, aliquando pro re significata, aliquando pro notitia voce expressa.  
Nomina de Deo prædicabilia vel significantia Deum, quædam sunt essentialia, quædam personalia, quædā nationalia, quædam communia.  
Nomina priuatiua sunt, ut cæcus, pauper &c.  
Nomina prime impositionis sunt, quæ significant res ea ratione, ut non sunt signa.  
Nomina secundæ impositionis sunt, quæ significant res ea ratione, ut sunt signa.  
Nominabile est id, quod potest nominari.  
Notio communiter accipiēdo est simplex conceptus mentis, quo res cognoscitur. Sed theologicè sic non accipitur: secundū theologos enim notio propriè est formale principiū cognoscendi personas: & in hunc sensum capitur tripli-citer. Uno modo pro manuductione nostri intellectus in cognitionem diuinarū: isto modo sunt infinitæ notiones, quia quælibet creatura potest nos manuducere in generali ad cognoscendum Deum. Secūdo modo dicitur notio secundum numerum diuinarum personarū accepta: ita sicut tres personæ sunt notæ, sic tres sunt notiones quibus noscuntur, scilicet in generatio in patre, & generatio in filio, & processio in spiritu

## DE LITERA N.

spiritu sancto. Tertio modo capitur proprietas & sic dicitur quaelibet diuina originatio, siue dicatur negatiue, siue innoscibilis, siue affirmatiue, sicut ceterae notiones.

Notionale est illud, quod vni soli personae conuenit, vel solis duabus, vt paternitas, spiratio actua.

Nomina notionalia dicuntur, qui faciunt nos deuenire in notitiam trium personarum.

Notitia, est idem quod cognitio.

Notitia intuitiva, est notitia incōplexa termini vel terminorum, rei vel rerum, virtute cuius potest euidenter cognosci aliqua veritas contingens, maxime de præsenti, vt quod res est, vel non est, quod est hic vel ibi, vt est visio exterior sortis: per hanc enim euidenter cognosco sortem esse: et si per potentiam diuinam illa visio coſeruaretur sorte destructa, per eandem cognoscerem euidenter sortem non esse.

Notitia abstractiva dupliciter accipitur: uno modo pro notitia vniuersali abstracta à multis singularibus, vt cōceptus specificus omnium hominū: & talis cognitio non est aliud, q̄ cognitio alicuius vniuersalis abstrahibilis à multis singularibus. Alio modo notitia abstractiva est in eo quod abstrahit ab existentia & non existentia, & ab alijs conditionibus que con-

## DE LITERA O.

tingenter accidunt rei, virtute cuius de re contingenti non potest sciri an sit, vel non sit, vel alia veritas contingens: ut notitia quæ habetur de obiecto in eius absentia: et omnis talis naturaliter acquisita præsupponit notitiā intuitiūam eiusdem obiecti.

Notitia infallibilis est, quæ non potest esse falsa: siue assensus verus, quo non est possibile falli.

Notitia Dei, aliquando nominatur præscientia Dei, quandoq; sapientia, quandoq; prævidentia, quandoq; prædestinatio &c.

Notorium primo modo dicitur, quod constat per propriam confessionem in iure factam, vel per iudicis sententiā, aut per facti evidentiam.

## DE LITERA O.



BDVRATIO, uno modo capitur pro reprobatione: alio modo pro obstinatione mētis in peccato, et sic non est reprobatio, sed potius sequela eius.

Obedientia, est voluntatis propriæ subiectio. Obex, idem est quod repagulum, vel dicitur cuiusq; rei obstaculum.

Obex gratiæ, quandoq; dicitur peccatum mortale, quantum ad reatum: quandoq; dicitur peccatum, quantum ad actum exteriorem & interiorem

## DE LITERA O.

riorem, qui est consensus & complacentia peccati. Primum remouere non potest homo, quia peccatum quo ad reatum, non remouetur nisi per peccati remissionem, quod solius Dei est, qui tamen paratus est remittere, facienti quod in se est. Obicem secundo modo dictum, potest remouere peccator, quia potest cessare a consensu & actu peccandi: immo odiisse peccatum, & vel le non peccare. Et obex non tantum est peccatum, verum etiam solicitudo & distractio.

Obiectum, est oppositio cuiuscumque rei, ac etiam verborum, ita & obex.

Obiectum quoddam est primum, primitate originis: quoddam primum, primitate adæquationis.

Obiectum primum primitate originis, est quod terminat actum intellectus.

Obiectum primum primitate adæquationis, est quod prædicatur ab omnibus, a potentia apprehensibilius, quodque est communissimum inter omnia alia apprehensibilia, ab illa potentia, siue quodlibet sub eo contentum sit apprehensibile sub proprietate, & in particulari, siue non &c.

Obiectum volitionis, est illud quod voluntas vult ipsa volitione: sicut obiectum intellectionis est, quodipse intellectus intelligit ipsa intellectione.

Obiectum fidei, & veritatis credita: sicut obiectum

## DE LITERA O.

**S**cientia, est veritas scita.

**O**blatio, est omne quod exhibetur in cultu Dei.

**O**bligari, est teneri ad aliqualiter esse vel non esse, siue ad aliquam dispositionem habendam, vel aliquat dispositione carendum.

**O**bligatio absoluta est, qua quis simpliciter ad aliquid faciendum obligatur, ita quod si illud non facit, incurrit omissionis reatum.

**O**bligatio conditionalis est, qua quis obligatur ad aliquid faciendum, si vult peruenire ad premium: et haec obligatio in eo qui omittit, non inducit omissionis peccatum, sed ponit implicite conditionis defectum.

**O**bligari ad impossibile, dupliciter potest intelligi: uno modo propriè, scilicet quod obligatur ad faciendum impossibile: alio modo imprropriè, scilicet quod obligatur ad volendum impossibile.

**O**bsessio dæmonis, notat intimam et substantialem præsentiam dæmonis corpori humano.

**O**bstinatio, est quædam pertinacia.

**O**brectare, est contra alienam sententiam tractare seu maledicere.

**O**buentiones, stipendia episcopo debita nominantur.

**O**ccasio, est oportunitas temporis casu proueniens.

**O**culus dexter, significat considerationem magis prin-

## DE LITERA O.

gis principalem.

Oculus sinister, minus principalem.

Oculi animæ rationalis sunt duo: unus peccans  
ad cognituum potentiam, alter ad affectiuam.

Oculus simplex, est oculus rectus.

Oculus Dei dicitur, quo Deus videt omnia.

Odium, est ira inueterata. Et dicitur odium du-  
pliciter: aut cum quadam disciplina, aut cum  
ui surreptionis, vindicta & ira.

Officium, est actus congruus cuiusq; personæ.

Officium ecclesiasticum quandoq; sumitur pro  
iure officiandi, quandoq; pro obligatione ad  
officiandum, quandoq; pro actu officiandi. Vnde  
hic actus sic describitur, quod est exercitium  
aliquid impensum ad utilitatem alterius vel  
aliorum, pro cōsecutione felicitatis æternæ, &  
damnationis evitatiōne.

Holocaustum dicitur oblatio vel sacrificium,  
quod vel ex debito vel sponte oblatum, incen-  
debatur.

Omissio, importat prætermissionem boni de-  
biti in ordine ad legem diuinā vel humanam,  
vel in ordine ad proximum.

Operatio intellectus est, quæ componit & diui-  
dit simplices cogitationes in se formatas, com-  
ponendo ex eis propositiones affirmatiuas, aut  
diuidendo, faciendo propositiones negatiuas,

## DE LITERA O.

per quas discurrit arguendo.

Operatio voluntatis est, quam operatur voluntas, & est actus ipsius voluntatis. Et operatio cum exteriore, non est magis meritoria vel demeritoria, quam sit sola interior sine exteriore imperata.

Operatio humana est, quam operatur homo.

Operari meritorie, est parare fructum vitae.

Operatio diuina est, ubi Deus operatur.

Opinio, uno modo significat præsumptionem seu assensum temerarium, quo quis estimat se scire, quod non scit: secundo modo, assensum cuius propositionis indifferenter: tertio, acceptationem unius partis cum formidine alterius: quarto, acceptationem animæ generatam ex rationibus probabilibus &c.

Opinari, est suspicari, habere opinionem, putare &c.

Opinio hæretica est, que contrariatur fidei pertinaciter.

Opera sunt varia, quædam carnalia, quædam pœnalia, quædam satisfactoria, quædam moraliter bona, quædam conformata, quædam supererogativa, quædam mortua, quædam viua, quædam laboriosa &c.

Opus bonorum moraliter, est opus elicitum aut imperatum conformiter ad dictamen rectæ, id est,

## DE LITERA O.

est, in culpabilis rationis.

Opus virtuosum seu laudabile, est triplex. Quod  
dam est opus virtuosum simplex, pertinens ad  
vitam contemplatiuam: cuiusmodi est amare  
Deum, audire missam &c. Quoddam est per-  
tinens ad vitam actiuam, sicut est infirmis mi-  
nistrare &c. Dicuntur autem hæc simplicia, quia  
non sunt permixta. Et quoddam adhuc est vir-  
tuosum, pertinens ad vitam actiuam, à pleni-  
tudine contemplationis sumptum: ut prædica-  
re, alios docere &c.

Opus bonum, siue bene operatum, intelligitur  
opus quod à potentia elicetur conuenienter, ad  
finem propriū potentiae cuius est. Sic oculi, id  
est, potentiae videndi finis, est videre.

Opus excellens, aut secundum vanam æstimatio-  
nem dicitur, sicut aliquis reputat excellentiam  
vindicare se de aduersarijs, & prædominari  
alijs. Aut secundum veritatis dictamen, & sic  
sustinere ignominiosissimum genus mortis pro  
Christo, est opus magnæ excellentiæ.

Opus laboriosum, uno modo accipitur pro tali  
opere, quod est actiuū, & aliquantulum exce-  
des humanas vires. Alio modo dicitur laborio-  
sum opus, propter operat̄is defectum, propter  
quem magis laborat: et ista laboriositas minuit  
meritum, prima auget.

## DE LITERA O.

Opus facile dicitur, vel propter affectus laborantis, vel propter precium rei adipiscendæ.

Opera viua dicuntur, quæ fiunt ex radice spiritualis vitæ, quæ est charitas: propter quæ operans remunerandus est vita æterna.

Opera mortua dicuntur illa, quæ facta sunt à carente vita gratiæ, vel quæ non sunt meritoria vitæ æternæ.

Opus carnale, est opus peccati.

Opus spirituale, est opus spiritus, vel bonum, vel virtuosum, vel meritorium.

Opus pœnale, uno modo formaliter accipitur, scilicet quod infert afflictionem vel pœnam agenti interiorē, scilicet tristitiam animæ, vel dolorem exteriorem corpori, ut contritio, ieiunium, castigatio &c. Vel opus pœnale dicitur quicquid est contra rationem voluntatis: Et huiusmodi opus non est satisfactorium nec virtuosum. Alio modo virtualiter, scilicet quādo eminenter includit perfectionem operis pœnalis, et reddit hominem paratum ad subeūdum passionē aut labore, si facultas aut opportunitas occurreret. Sic actus int̄esus charitatis Dei, instantum delectat habentem, quod etiam opus naturaliter pœnale, reddit dulce et delectabile.

Opus satisfactorium, est opus seu actus voluntatis elicitus vel imperatus ad satisfaciēdum et meren-

DE LITERA O.

merendum vtile.

Opus supererogationis, dicitur opus cōsiliij, vel quod fit vltra id quod quis debet.

Opus formatum, uno modo dicitur per exclusiō nem deformitatis peccati : alio modo, per positionē dignitatis meriti. Pro primo modo, opera decalogi obligant ad opera formata: obligat enim ad vitandum omnia peccata mortalia. Pro secundo modo, loquendum est de obligatione conditionali in seruandis mandatis : ut, si vis vitam ingredi, serua mandata. unde necesse est ex charitate seruare mandata.

Opus operatum, est opus vel signū exterius exhibitum, quod fit ad significandum aliquid: & valet ex institutione & pacto, sicut sacramenta nouae legis, valet ex opere operato: hoc est, ex vi sacramenti conferunt gratiam, si nihil aliud impedit, hoc est, si suscipiens non ponat obicem, vel non est inquinatus peccato mortali.

Opus operans, est motus ipsius agentis interior: sic fructum sacramentorum non solum ex opere operato, sed etiam ex opere operante accipimus.

Opus Dei est, quod fit à Deo.

Opera diuina, quædam sunt creationis, quædam permissionis, quædam redemptionis, quædam iustificationis, quædam punitionis.

## DE LITERA O.

Opera creationis sunt, puta cœlum, terra &c.  
Opera permissionis sunt, quibus Deus permittit  
malos prosperari, et affigit bonos in hac vita.  
Opera punitionis, pertinent ad iustitiam.  
Opera iustificationis, ad misericordiam.  
Opus incarnationis est, dum Christus assumpsit  
humanam naturam.

Orare, est mentē in Deū eleuare: vnde oratio.  
Oratio, uno modo accipitur pro desiderio obti-  
nendi aliquid à Deo, quo desiderans ordinetur  
in ipsum: & sic oratio est quidam assensus ani-  
mæ intellectuæ ad Deum, qui est voluntatis  
ut elicientis, & intellectus ut dirigentis. Alte-  
ro modo, orare idem est quod prædictum desi-  
derium loquendo Deo proponere, non per mo-  
dum indicatiuum, sed supplicatiū: & sic ora-  
re, est actus intellectus ut elicientis, & volun-  
tatis ut mouentis.

Orare fictè dicitur ille, qui illud pro quo orat ne-  
que vult, neq; desiderat.

Oratio quædam est purè mentalis, quædam pu-  
rè vocalis, quædam media vel mixta.

Oratio purè mentalis est, quando labia non mo-  
uentur, sed cor ad Deum loquitur.

Oratio purè vocalis, quando nihil cogitat in his  
quæ dicit, nec in generali, nec in speciali, ita ut  
referat intentionē ad sensum uerborū vel fine.

Oratio

## DE LITERA O.

Oratio mixta est, in qua orans orat mentaliter & vocaliter.

Ordo, alias perfectionis, alias generationis: nam priora ordine generationis, frequenter sunt posteriora ordine perfectionis. Infimo ordine perfectionis, charitas est prior fide & spe: secus ordinem generationis. Sic actus fidei, ordine generationis est prior actu spei et charitatis: quia non potest voluntas per actum suum tendere in obiectum, nisi cognitum per intellectum.

Ordo quidam est, qui respicit naturam secundum omnem statum, & est ordo qui respicit naturam secundum statum suae corruptionis: & secundum hoc, quædam sunt de dictamine naturæ simpliciter, quædam de dictamine naturæ secundum statum. Deum esse honorandum, dictat natura secundum omnem statum: hominem vero adæquari homini, dictat secundum statum suæ prime conditionis: hominem autem homini subiici, et hominem homini famulari, dictat secundum statum corruptionis, ut mali compescantur, & boni defendantur &c.

Ordo angelicus, est multitudo cœlestium spirituum, qui inter se aliquo munere gratiae assimilantur.

Ordo quandoq; sumitur pro modo viuendi religiosorum: & sic sunt varij ordines.

## DE LITERA O.

Ordo dupliciter accipitur: uno modo, pro ritu  
seu signo, quo traditur potestas ordinato: secun-  
do modo pro potestate tradita. Primo modo,  
ordo est sacramentum: secundo, est sacra-  
mentum & res, scilicet respectu signi prædicti: &  
sacramentum rei, id est, gratiæ gratum facien-  
tis, seu augmenti eiusdem, qui dignè ordinè su-  
scipienti confertur.

Ordo, est significulum quoddam sacrum, quo spi-  
ritualis potestas traditur ordinato, et officium.  
hoc sacramentū, est sacræ rei signum, quia cha-  
ritatis & gratiæ à Deo infusæ. Alij sic defini-  
unt: Ordo est sacramentum spiritualis potesta-  
tis, ad aliquod officium in ecclesia ordinatum.  
Ordinatum aliquid esse, vel fieri ordinatō, dupli-  
citer dicitur. Uno modo, ordine vniuersali,  
quod pertinet ad legem communem: sicut ordi-  
natum est secundum legem communē, omnem  
finaliter peccatorem esse damnādum: ut si rex  
statuat, quod omnis homicida moriatur. Secun-  
do modo, ordine particulari, circa hoc iudiciū  
ad quod non pertinet lex, quia lex est de vni-  
uersalibus casibus: de casu autem particulari  
non est lex, sed iudicium secundum legem, quod  
est conclusio legis, ut quod iste homicida mo-  
riatur.

Origo dupliciter accipitur, vel respectu creatu-  
re, vel

## DE LITERA P.

re, vel respectu personæ. Si respectu creature, sic est respectu totius trinitatis, & appropriatur patri. Si autem respectu personæ, sic potest accipi actiue & passiuè: actiue, sic est patris & filij, sed appropriatur patri: si passiuè, sic filij & spiritus sancti, & appropriatur filio, non secundum quod simpliciter, scilicet secundum quod origo debet animatione per modum naturæ &c.

Orthodoxus dicitur fidelis, catholicus, &c. & dicitur orthodoxus, quasi rectam regulam seu doctrinam credendo & viviendo tenens.

Os Dei, est Dei filius, Dei patris, Christus Dominus.

## DE LITERA P.



ANIS intelligentiæ illuminantis, est verbum Dei auditum, lectum, meditatum seu contemplatum, nos illuminans ad intelligentiam scripturarū, fidei, honorū promissorum, quæ sunt æternæ felicitatis gaudia, & malorum comminatorum in damnatione perpetua. Panis deuotionis, est panis spiritum sursum cogens: hunc præstat panis verbi Dei deuotè susceptus, & diligenter masticatus.

Papa dicitur summus pontifex, qui habet plenitudo

## DE LITERA P.

tudinem pontificalis potestatis.

Paradisus est quadruplex, terrestris, corporalis, cœlestis, & spiritualis.

Paradisus terrestris, est locus corporeus in Oriente, ut in nobilissimo loco, & interpretatur hortus: estq; locus conueniens habitationi humanae, quia habet aërem temperatum & tenuissimum, & plantas semper floridas.

Paradisus corporalis, est locus deliciarum et amœnitatis: ex quantum ad beatos, est cœlum empyreum: quantum ad viatores, est locus amœnus in partibus Orientis constitutus.

Paradisus spiritualis dicitur per allegoriam, status animæ triumphantis ac militatis ecclesie. Vnde spiritualis paradisus sic definitur, est status vel quies ex amœnitatis deliciarum spirituum.

Paradisus cœlestis capitur pro visione Dei, vel pro beatitudine regni cœlestis, quod non sine visione est.

Parafernalia bona dicuntur, quæcunque bona præter dotem fœminis sponsis dantur.

Partes sunt, in quas materialiter diuiditur totum.

Pars triplex est, integralis, subiectiva, & potentialis.

Pars integralis est, quæ intrat constitutionem totius, sicut partes domus.

Pars

## DE LITERA P.

Pars subiectiva, est inferius contentum sub superiori, & species respectu generis.

Pars potentialis est, quæ non recipit prædicacionem totius, sed aliquid de potentia sive de perfectione totius participiat. Sic dicere possum, quod anima sensitiva, est pars potentialis animæ intellectivæ.

Pars alicuius adhuc accipitur dupliciter. Vno modo pro termino primæ impositionis, & sic dupliciter. Vno modo largè, pro eo ex quo res constituitur, vel quod ad rei conseruationem vel naturalem operationem requiritur: et hoc modo etiā humores in corpore humano existentes, scilicet sanguis, cholera, melancholia &c. Alio modo magis propriè, pro illo ex quo res composita realiter constituitur: & hæ duplices, quædam essentiales, quæ se habent ut actus & potentia, & sunt materia & forma compo siti substantialis: quædam sunt integrales, ex quibus totum integratur eiusdem rationis cum toto, ut sunt membra animalis, & partes gra duales formæ intensibilis, & partes quantitat iæ rei extensæ &c. Sic est terminus primæ intentionis: sed pro termino secundæ intentionis, terminus inferior dicitur pars sui superioris. & hæ dicuntur partes subiectivæ. Hoc modo species sunt partes generis, & individua spe-

## DE LITERA P.

cierum: sic homo, bos, leo &c. sunt partes animalis.

De ratione partis, capiendo pro termino primæ impositionis, sunt duo. Primum, quod realiter distinguitur ab eo, cuius est pars: nihil enim est pars sui ipsius: & propter hoc licet anima replicetur sub partibus corporis, tamen anima in pede, non est pars animæ informantis totum corpus, quia anima quæ est in pede, est eadem quæ est in capite, manu, & toto corpore. Secundū modo requiritur, quod ipsa sic cū alia componat siue integret totum id, secundū primum & propriissimum identitatis modum. Sic scienza non est pars animæ, quia siue adsit animæ, siue non, anima semper est eadem, & in nullo substantialiter mutata. Primum, Deitas non est pars Christi seu verbi, quia est realiter eadem verbo. Item, natura humana non est pars Christi, quia non est pars verbi, Christus autem & verbū, idem sunt: Nō igitur humanitas neq; diuinitas est pars Christi. Ex quo sequitur, quod licet Christus subsistit in duabus naturis, diuina & humana, non tamē componitur ex eis. Partes aliquotæ dicuntur, quæ aliquotiens sumpte reddunt numerū suum essentialē, ut sunt, 2. 2. 3. quæ constituant numerū senarium. Item, centenarius componitur ex partibus aliquotis,

C<sup>r</sup> non

## DE LITERA P.

Et non aliquotis, et ideo est imperfectior: de-  
narius autem est perfectissimus, ad quem stat re-  
solutio omnium numerorum, et dicitur limes  
primus: centum autem, est limes secundus.

Partes proportionales, siue eiusdem proportio-  
nis dicuntur, quorum talis est proportio pri-  
mæ ad secundam, qualis secundæ ad tertiam, et  
sic consequenter: vel ubi talis est proportio  
ad sequentem, qualis est sequentis ad sequentem  
ut si continuum diuidatur in duas medietates,  
et secunda medietas iterum in duas: et sic conse-  
quenter suo modo dicatur de divisione secundum  
quamcunque proportionem multiplicem et c.

Paruificantia, est vitium oppositum magnificen-  
tiae, et est circa magnos sumptus.

Passio, a neotericis scholasticis accipitur pro  
animi vel corporis morbo. Vel, passio est mo-  
tus appetitiæ virtutis sensibilis in imaginati-  
one boni et mali.

Passiones quædam sunt corporales, quædam na-  
turales seu animales, quædam spirituales.

Passiones corporales, sunt pœnae inflicte corpo-  
ri, vel supplicia, tormenta, quibus corpus pati-  
tur, torquetur et cruciatur: sicut fuerunt pas-  
siones martyrum, quæ et martyria vocant.

Passiones naturales seu animales sunt, quæ in-  
sunt à natura omnibus animalibus: istæ nec bo-

## DE LITERA P.

næ nec malæ sunt, cùm ipsis animalibus desit libertas arbitrij, in qua fundatur ratio laudis et vituperij.

Paſſiones ſpirituales, dicuntur ſpirituales afflitiones: & haec magis attēdendæ ſunt animæ ad deuotionem vocatæ, quam ſenſuales, vt illas adipisci, & ſecundum eas affici mereatur.

Paſſio & paſſibilitas ſibi correspondent, vt potentia & actus.

Pati, eſt quoddam recipere: vnde duplex eſt modus paſſionis: uno modo naturaliter, ſecundum eſſe naturale, ſicut calor ignis recipitur in aere vel igne: alio modo recipitur aliiquid in aliquo, ſecundum modum intentionalem, ſicut ſimilitudo coloris recipitur in aere vel oculo.

Paſſio obvia voluntati, eſt que difficultat voluntate. Paſſio et propaſſio differunt. Propaſſio eſt, dum quis ita timore vel triftitia aut dolore afficitur, vt mens inde à reſtitutioне, aut Dei contemplatione moueat. Paſſio uero dicitur, cùm mens turbatione victa, à reſtitutioне declinat.

Patientia eſt virtus, contumeliarū & omnis aduersitatis impetus æquanimiter portare: et haec philosophica definitio eſt. theologicè ſic definitur: Patientia eſt virtus, qua quis pro pietate et pro Deo quicquid acciderit, fert, nec frāgitur.

Patria translatiū accipitur pro patria cœleſti, ſcilicet

## DE LITERA P.

Scilicet pro regno cœlorum post hanc vitam.  
Patriarcha dicitur, qui patrum, hoc est, pontifi-  
cum princeps & primus est.

Patrini dicuntur, qui paruulos ad baptismum  
offerunt, & pro ipsis sp̄ondēdo quasi fideiū-  
sores ad Deum fiunt.

Paupertas est duplex, simulata & vera, itē vo-  
luntaria vel expedita, & necessaria vel illata.  
prima habet gloriam, secunda cruciatū. Item  
adhuc est duplex: ex coacta necessitate, & ex  
propria voluntate.

Pax est tranquillitas ordinis, id est, quieta &  
suavis concordia debitum ordinem seruans.

Pax quædā malorū est, quæ opponitur paci bo-  
Pax hominis vera, est ordinata hominis (norū.  
ad Deum concordia, ex qua oritur pax homi-  
nis ad seipsum & ad proximum.

Pax ad proximum est, cum omni homine ordi-  
nata concordia, ut scilicet nulli noceat, et cùm  
possit, profit.

Pax terrena est, quæ requirit pacē cū proximo.  
Pax spiritualis, seu interna, seu pectoris est, qua  
quis cum seipso pacem habet.

Pax cœlestis est, quæ habetur cum Deo.

Pax conscientiæ est tale bonum, quod aliquod ei  
comparari nequit.

Peccare, est inique agere, vel iuste, vel iniuste,

## DE LITERA P.

Et facere contra regulā voluntatis. Item peccare, est voluntarie auerti à Deo.

Peccare actualiter, nihil est aliud, quam voluntarie aliquid agere vel omittere contra rectam rationem, hoc est, non conformiter ad rationem rectam.

Peccat volens, qui passione aliqua victus peccat, non ex malitia, et in peccato non perseverat.

Peccare voluntarie, est ex habitu et malitia, ac perseveranter peccare.

Peccatum malum et indebitum semper oportet sumere non contrariè, sed contradictorie: ut lapis dicitur malus, id est, non bonus, contradictoriè.

Peccatum, est actus non meritorius, aut mortali- ter bonus.

Peccatum aliquando est culpa, aliquando pœna peccati.

Peccatum et vitium differunt: peccatum notat culpam, vitium notat culpæ sequelam.

Peccatum in genere etiam sic definitur: est actus deuians ab ordine debiti finis contra regulam naturæ, rationis, vel legis æternæ. Alias sic definitur: est factum, vel dictum, vel concupitum contra legem Dei.

Peccatum actuale, est voluntaria commissio vel omisso

## DE LITERA P.

omissio contra rectam rationem.

Peccatum originale est, quod à vitiosa nostra origine trahimus: & est auersio quædam habitualis à Deo, qua anima prona effecta est non reddere iustitiam quam debet. Vel est qualitas morbida, animæ vitium, scilicet concupiscentiae: & contrahitur e parētibus, quia causatur à qualitate morbida carnis, quam caro contraxit ex libidinosa cōcupiscentia siue ardore parentum coēuntium in prolis seminatione &c. Vel, peccatū originale, est habitus corruptus, non pura priuatio.

Originale peccatū, uno modo est origo omnium peccatorum: & sic peccatum Adæ dicitur originale peccatum. Alio modo dicitur originale peccatū, quod est in nobis ab origine, & à quo cætera vitia sumunt in nobis originem.

Peccatum transire in prolem tripli citer fit, punitione, imitatione, & transfüsione.

Peccatum moris dicitur, quod peccatori imputatur ad vituperium.

Peccatum actuale, mortale quoddam est, quod-dam veniale.

Peccatum actuale mortale est, quod occidit animam, & separat eam à Deo.

Peccatū veniale, est complacentia seu voluptas in creatura infra vel citra Deū, id est, nō plus

## DE LITERA P.

quam Deo, neq; æquē sicut Deo adhærere.

Peccata mortalia quædam sunt pure carnalia,  
quædā pure spiritualia. Purē carnalia sunt, ut  
gula &c. purē spiritualia, vt inuidia, ira &c.  
Peccata mortalia quædam sunt commissi, quæ-  
dam delicti: aliqua enim committuntur in faci-  
endo, aliqua in omittendo.

Peccata commissi, sunt de præcipuis negatiis.

Peccata delicti pertinent ad præcipua affirma-  
tiua.

Peccatum omissionis dicitur dupliciter. Vno modo  
impropriè, pro peccato quo aliquis non omit-  
tit, quod tenetur omittere: & sic omisso sem-  
per coniuncta est peccato commissionis. Secundo  
modo accipitur propriè, et est dū aliquis omit-  
tit actum, quem tenetur facere: & ita contra-  
riatur præcepto affirmatio.

Peccatum in patrem est, quando voluntas quæ  
est coniuncta appetitui sensitiuo, nata sibi conde-  
lectari, & peccans occasionaliter ex inclina-  
tione appetitus sensitiui ad suum delectabile,  
peccat ex passione: quod dicitur peccatum ex  
infirmitate seu impotentia, quæ consurgit ex  
amissione originalis iustitiae: et illud peccatum  
est appropriate in patrem, cui attribuitur po-  
tentia.

Peccatum in filium est, quando voluntas agit per  
cognitio-

## DE LITERA P.

cognitionem intellectuam, hoc est, præsupponit cognitionem intellectus illius obiecti, circa quod elicit suum actum: igitur ratione errante, ipsa conformiter elicente, non recte elicit, nisi error esset inuincibilis: et sic peccat ex ignorantia: & illud peccatum appropriate dicitur in filium, cui appropriatur sapientia.

Peccatum in spiritu sanctum est, quando voluntas peccat ex libertate propria non cōdelectando appetitui sensitivo, nec ex errore rationis: & tūc dicitur peccare ex malitia, quia non ex passione siue odio, neque ex errore in ratione peccat (ibi enim est plenissima ratio peccati, quia plenissima ratio voluntarij: quia nihil est aliud à voluntate eliciens eam ad malum, neq; in sensu, neq; in intellectu) sed ex mera libertate sua, siue aliqua occasione extrinseca eligit velle contra dictamen rationis, etiamsi non tenet in ipsum malum sub ratione mali: & illud peccatum dicitur committi in spiritu sanctum, cui attribuitur bonitas.

Peccatum irremissibile dicitur dupliciter, hic & in futuro: uno modo simpliciter, quod non remittitur, qualis est sola finalis impenitentia: hoc enim non remittitur in præsentí seculo: sic enim non esset finalis si remitteretur, non duraret in finem: nec in futuro, quia nihil non re-

## DE LITERA P.

missum in hoc seculo, remittitur in futuro.

Peccatum quoddam est occultum, quoddam publicum. Peccatum suum publicum nemo non tenetur confiteri in publico. Alia res est cum publico.

Peccatum capitale dicitur, uno modo quod capite plectitur seu punitur, sicut est crimen læse maiestatis. Secundo modo dicitur illud, unde reliqua peccata ortas sunt.

Peccatum contra naturā fit quatuor modis. Primus est, quando absque omni concubitu causa delectationis venere et pollutio procuratur, et vocatur propriè mollities, pertinetq; ad peccatum immunditiae venere et seu lubricosae. Secundus modulus est, si fiat per concubitū ad rem non eiusdem speciei, et vocatur propriè bestialitas. Tertius modulus est, si fiat cōcubitus ad rem eiusdem speciei, sed non ad debitum sexum, ut puta masculi ad masculum, vel fœminæ ad fœminā: et vocatur propriè Sodomiticū. Quartus modulus est, si fiat cōcubitus ad rem eiusdem speciei et debiti sexus, sed non fiat in debito instrumento, vel alias fiat monstrosa quedam deordinatio et vilitas in modis concubendi.

Peccatum veniale est triplex. Quoddam est ex sola surreptione, id est, sine aduentitia, quod præuenit deliberationem: et illud sicut vitari

non

DE LITERA P.

non potest, ita etiam nunquam fit mortale, quan-  
diu manet in illo genere ex surreptione: secus si  
manceret, seu si continueretur actus ex surreptio-  
ne incensus, quo usq; accederet perfecta delibe-  
ratio, quia tunc non manet surreptitus. Quod-  
dam est veniale, quod fit cum cogitatione sine  
aduertentia, sed sine pleno consensu, ut in co-  
gitatione de muliere, & in delectatione citra  
consensum in delectationem. Tertium est ve-  
niale, cum ratione & consensu: sed ideo est ve-  
niale, quia non est contra praeceptum, ut ver-  
bum odiosum, & mendacium iocosum, visus su-  
perflius, & huiusmodi.

Peccans dicitur ille, qui peccat, vel committit ali-  
quid mali.

Peccator proprius est, qui ex habitu vel propo-  
sito peccat.

Peculium dicitur, quicquid alicuius labore &  
industria paratum & lucrificatum est. Apud ma-  
iores omne patrimonium dicebatur peculium.

Peculium profectuum est, quod ex rebus patris,  
vel earum occasione proficiscitur.

Peculium aduentitium dicitur, quod à linea ma-  
terna prouenit.

Peculium castrense est, quod filiofamilias à pa-  
retribus vel alijs occasione militiae, & nō alijs  
donatur, aut ipse in militia acquirit, quod nisi

DE LITERA P.

militaret, acquisitus non fuisset.

Pecuniae nomine intelligitur, quicquid habent  
homines in terra. omnia quorum domini sunt,  
vocatur pecunia.

Penetrarium dicitur, quod penetrat.

Perfectio seu perfectum est triplex: secundum  
tempus, secundum naturam, et secundum per-  
fectionis universalitatem.

Perfectum secundum tempus est, cui nihil deficit,  
quod secundum tempus illius statim sibi conue-  
nit: sic puer dicitur perfectus, licet non habeat  
viri perfectionem.

Perfectum secundum naturam est, quod habet quic-  
quid naturae conuenit, secundum sui capacita-  
tem: sic soli beatissimi sunt perfecti.

Perfectum secundum universalitatem est, quod  
est summe et simpliciter perfectum. Primum  
perfectum est naturae conditae, secundum natu-  
rae glorificatae, tertium naturae increate.

Perfectio attributalis dupliciter accipitur: uno  
modo pro ipsa re quae est perfecta simpliciter,  
sicut est essentia, quae est simpliciter perfectio,  
quia nullam includit imperfectionem essentialiter,  
nec necessariò aliquam imperfectionem annexam  
habet. Secundo modo accipitur improprie pro  
conceptu vel signo rem simpliciter perfectam  
significante, videlicet ad quem non sequitur,  
de quo

## DE LITERA P.

de quo prædicatur esse imperfectum: ut hæ diciones, bonus, sapiens &c. conueniunt tam Deo quam creaturæ &c.

Perfectio simpliciter, est illud quod in unoquocum melius est ipsum, quam non ipsum. Vel, perfectio simpliciter, est perfectio vel res significata per aliquem terminum, quem non stat ab aliquo remoueri: & illud est summum bonum: tandem terminum vocamus denominationem perfectionis simpliciter. Perfectio secundum quid, est perfectio vel res creata, significata per aliquem terminum, quem non stat ab aliquo remoueri, & illud esse & non esse minus perfectum, quam illud per illum significatum. Verbi gratia de prima: Vita in Deo, perfectio est simpliciter: et iste terminus, vita, est denominatio perfectionis simpliciter. De secunda: Vita creata, est perfectio secundum quid: & iste terminus, vita creata, est denominatio perfectionis secundum quid.

Perfectio Christiana, est dilectio Dei, in qua qui seruētior est, hic perfectior iudicatur. Vel, perfectio Christiana est, unāquaque rem tanti habere, quanti habenda est: sic pluris est anima, quam esca: fides & aequitatis quam pecunia. Et hæc perfectio Christiana est quintuplex, ut sequitur.

## DE LITERA P.

Perfectio sufficientiae est, quæ consistit in adim-  
pletione mandatorum Dei.

Perfectio religionis est, quæ consistit in obseruan-  
tia consiliorum.

Perfectio prælationis est, quæ consistit in regimi-  
ne subditorum.

Perfectio operationis est, quæ consistit in ostend-  
ione exemplorum.

Perfectio tranquillitatis est, quæ consistit in con-  
summatione difficillimorum & optimorum.

Perfectum rei est duplex: quoddam in esse primo,  
quoddam in esse secundo. Primum in hoc con-  
sistit, ut res habeat omnia, quæ pertinent ad  
eius essentiam: secundū consistit in quibusdam  
persecutionibus non pertinentibus ad essentiā.  
Primo modo perfectum fuit matrimonium in-  
ter Mariam & Ioseph: non secundo, quia non  
ita perfecte significauit indiuisibilem vniōnem  
Christi & ecclesie, & humanæ naturæ cum  
diuina persona, sicut matrimonium consum-  
matum.

Perficere, uno modo effectiū sumitur: sic Deus  
perficit me, dando mihi vitā. Altero modo for-  
maliter, & sic anima mea corpori meo dat vi-  
tam, vel est vita corporis formaliter.

Per iurium accipitur uno modo pro iuramen-  
to, quo scienter falsum iuratur: secundo pro  
iuramento

## DE LITERA P.

iuramento, quo scienter vel ignoranter iuratur  
falsum, aut dolose verum, vel quod vergit in  
deteriorem exitum. Tertio, pro quolibet iura-  
mento, in quo deficit aliquis trium comitum,  
veritas, iustitia, & iudicium.

Perseuerantia, uno modo dicitur voluntas per-  
ferendi passiones sine defctione: & sic est spe-  
cies fortitudinis. Alio modo dicitur propositum  
perseuerandi in bono usq; in finem: & sic est  
conditio annexa cuilibet virtuti. Tertio modo  
dicitur continuatio boni usq; in finem: & hoc  
modo non est nomen virtutis, sed potius status  
consequentis ad omnes virtutes.

Persona, est suppositum intellectuale: vel est ra-  
tionalis naturae individua substantia.

Personae aliæ sunt creatæ, aliæ increatae. Perso-  
nae increatae solum dicuntur tria supposita in  
diuinis. Persona creata dicitur de omnibus an-  
gelis & hominibus, excepto Christo.

Personæ ecclesiasticæ sunt omnes, aliquæ ex ma-  
ioribus ordinibus habentes.

Personari, est fieri personam.

Personare, est dare alicui esse personale: id est,  
dare ut sit persona.

Perturbatio, est aduersa ratione contra naturam  
animi commotio.

Petulantia, est voluptas mente a ratione ad ve-

## DE LITERA P.

nerem prouocans, & ad cæteros illicitos trahens motus lasciva subsultatio, & sine modestia proterua ac procax loquendi vel potius blaterandi consuetudo &c.

Peruictas est duplex: quædam est qualitativa, disponens ad videndum ea, quæ sunt in eo: ut per crystallū videmus, quæ continentur in eo. Altera est porosua, & sunt ipsa foramina vel pori, per quos videbimus in gloriā interiorem nostri corporis: & per istos poros nunc exēunt sudores & pili: vnde corpora gloria beatorum erunt colorata, luminosa, & erunt peruvia peruictate porosa, ad modū crystalli pulchriora, non autem peruictate qualificatiua.

Philosophia, est ars vitæ, & perturbationum medicina.

Phylacteriū est chartula, in qua decē precepta legis scribuntur, in signum Iudaicæ religionis. Piaculare ad satisfactionem peccati pertinet. Et dicitur piaculare, quasi dignum expiari.

Piaculare crimen, est flagitium, quod quis commisit, qui duabus commatribus vel sororibus nupfit.

Piacularia tristia, per quæ olim malum fieri opinabantur apud dæmones.

Piacularia auspicia, quæ tristia portendebant.

Piaculum sacrificium, cultus, & quicquid præbetur

## DE LITERA P.

betur vel agitur pro sacrificatione peccati.

Piare significat colere, quandoq; contaminare,  
quandoq; pie amare, quandoq; purgare.

Pietas propriè Dei cultus intelligi solet, quē Græci theosebiā appellāt: alias est pietas erga parētes, erga magistratū &c. Describitur ergo pietas in primo sensu, quōd sit cultus Dei interior.

Plenitudo est multiplex, quædam naturæ, quædam gratiæ, quædam gloriæ.

Plenitudo naturæ, est in duplice differentia: prima, in quantum ad rem in conditione, de qua Gen. 2. Compleuit Deus die sexto opus suum. Secunda, quantum ad veram multiplicationem, de qua Psalmus: Domini est terra, et plenitudo eius.

Plenitudo gratiæ similiter est duplex: quædam in capite, et de hac Iohannis 1. Plenum gratia et veritate. quædam in membris, de hac Acto. 2. Repleti sunt spiritu sancto.

Plenitudo gloriæ quoq; duplex est: vel quantum ad numerum electorū, de hac Apoc. 6. Sustinet modicum tempus, donec impleatur et c. aut quantum ad perceptionē æternorū bonorum.

Plenitudo potestatis ecclesiasticæ, est potestas ordinis et iurisdictionis, quæ à Christo collata est supernaturaliter Petro, sicut vicario suo et monarchæ, primo pro se, et suis successoribus.

## DE LITERA P.

legitimis usq; in fine seculi, ad ædificationem ecclesiæ militantis, pro consecutione felicitatis æternæ.

Pœna suppliciū est, quo quis ob delictum afficitur: vel est punitio delicti.

Pœna dicitur ordinativa culpa, pro quanto per pœnam reducitur voluntas peccatrix ad diuinæ iustitiae ordinem.

Pœnæ sunt multiplices: pœnæ temporales, quærum quædam contrahuntur, quædam assumuntur. Pœna quædam est inflicta, quædam contracta, quædam acta.

Pœna inflicta, simpliciter est passio, & non repugnans gratiæ, vt famæ, sitis &c.

Pœna contracta, est fomes & concupiscentia.

Pœna acta, est sicut obduratio et gratiæ expulsio.

Pœnæ quædam assumuntur, quædam imponuntur in satisfactionem actualis peccati: vt ieiunia, vigilie, corporalia & spiritualia exercitia, & laboriosa opera, & varia corporis castigationes.

Pœna quædam est materialis, quædam est personalis.

Pœna materialis est, quæ omnibus conuenit, siue quæ omnibus infligitur, sicut pœnæ consequentes peccatum primorum parentum.

Pœna personalis est illa, quæ conuenit alicui, ex non

## DE LITERA P.

non conuenit alteri, ut sunt poenæ infernales.  
Pœnales miseriæ sunt multæ, quas primorū pa-  
rentum culpa introduxit; aliquæ sunt spiritua-  
les, aliquæ corporales. Spirituales sunt, quæ  
se tenent ex parte potestiarum animæ, quæ sunt  
memoria, intellectus, volūtas: quarū quælibet  
grauatur suis miserijs. Corporales miseriæ val-  
de multæ sunt: ut dyscrasiae, peruersiones, &  
defectus sensituarū virium interiorum & ex-  
teriorum &c.

Pœna damnatorum est multiplex: quædam est  
pœna damni, id est, carentia diuinæ visionis:  
alia est, tristitia de ipsa pœna: tertia, tristitia  
de culpa, nō vt est offensiva Dei, sed vt est cau-  
sa pœnæ: quarta est de igne continente perpe-  
tuo: quinta, de igne retinente & immutante in-  
tellectum damnatorum in perpetua considera-  
tione sua: sexta, de culpa, in quantum est pecca-  
tum, est vermis conscientiæ.

Pœna vermis dupliciter potest intelligi, aut pro  
priè de verme corporali, aut metaphorice de  
morsu conscientiæ.

Pœna damnatorū generaliter est duplex, dam-  
ni, & sensus.

Pœna damni, est carētia beatitudinis: vel, est pri-  
uatio præmij beatifici.

Pœna sensus est, quæ infert dolorē: vel, est affli-

## DE LITERA P.

*Clio infernalis tormenti.*

*Pœna canonica*, est pœna inficta per canones, prohibens vel arcens punitum ab aliquo gradu ecclesiastico, qui alias sibi liceret.

*Pœnosum* dicitur plenum pœna.

*Pœnitere* dicimus, quum quæ ipsi fecimus, aut quæ de nostra voluntate nostroq; consilio facta sunt, ea nobis post incipiunt displicere, sententiamq; in his nostram immutamus.

*Pœnitentia* capitur tripliciter: primo dicitur dolor desperatius: secundo dicitur dolor interior: tertio dolor consequës. Item capitur pœnitentia dupliciter: uno modo pro aliquo actus vel habitu pœnitentis: secundo modo pro actus sacerdotis pœnitentë à culpa absoluenteris. Primo modo dicitur virtus, secundo modo sacramentum.

*Pœnitentia* variè diffinitur: quidam eam diffiniunt dolorem cordis, et amaritudinem animæ pro malis, quæ quisq; commisit. Quidam sic: *Pœnitentia* est ante acta mala deflere, et flenda non committere. Quidam sic: *Pœnitentia*, est mala præterita plangere, et plangenda iterum non committere. Quidam sic: *Pœnitentia* est actus, passio vel habitus hominis ad punitiō nem peccati à se commissi voluntarie ordinatus. Quidam sic: *Pœnitentia* est quedam vindicta

DE LITERA P.

dicta dolentis. Describitur autem perfectissime sic.

Pœnitentiæ sacramentum, est absolutio hominis pœnitentis facta à sacerdote iurisdictionem habente, sub certa verborum forma, cum debita intentione prolatæ, ex institutione diuina, efficaciter significatiuum absolutionis animæ à peccatis.

Pœnitentia vera dicitur, cum habitus ex actibus detestandi peccatum, secundum rectam rationem & debitū finem elicitus est genitus, ad huiusmodi actus natus inclinare.

Pœnitentia secreta, est satisfactio pro peccatis à sacerdote iniuncta, secreta agenda, id est, non publice.

Pœnitentia publica est, quæ manifestis criminibus iniungitur manifeste in facie ecclesiæ agentia, non tamen cum solennitate astantium clericorum: sicut est publica correctio virgarum, vel flagellorum, vel circuitio nudis pedibus, capite discooperto ante crucem processionis dominice diei: aut peregrinatio per mundū cum baculo cubitali: et haec potest iterari.

Pœnitentia solennis est, quæ à solo episcopo pro grauissimis criminibus publicis, totam communitatem conturbantibus, laicis fidelibus semel tantum cum debitis solennitatibus imponitur.

## DE LITERA P.

hæc non iteratur, ne vilis habeatur.

Pœnitentia tēpus est, in quo pœnitentia suffici-  
enter peragit ad salutē, quod est in hac vita.  
Politia, est ordo quidam habitantium in ciuita-  
te in principando & subiecto: & est duplex,  
ecclesiastica & secularis.

Politiae secularis tres sunt species: regnum, ari-  
stocratia, & politia. Regnum, est politia sub  
vno bono viro. Aristocratia, sub paucis bo-  
nis. Politia, quæ & democratia dicitur, sub  
pluribus bonis.

Politia ecclesiastica, est communitas viuens sub  
iure pure diuino seu ecclesiastico.

Politia naturalis, est cōmunitas secundum leges  
pure naturales principaliter regulata.

Politia humana, est cōmunitas secundū leges pu-  
re ciuiles vel humanas principaliter regulata.

Pollutio, secundū scholasticos doctores, est ge-  
nitura somno sparsa: vel, est resolutio seminis,  
quæ fit in somno, quæ non est peccatum, sed si-  
militudo peccati.

Pollutio quædam est sacrorum locorum, vnde tem-  
pla & coemiteria dicuntur polluta per sanguī-  
nis effusionem ibi violenter & iniuriose fa-  
ctam, sicut per homicidium, mutilationē &c.

Pontifex, est sacer magistratus, dictus à posse &  
facio.

Portio

## DE LITERA P.

Portio dicitur, quasi partio, & significat partē.  
Portio animae superior, accipitur dupliciter, lar-  
gē & strictē. Large sumpta, non tantum exten-  
dit se ad obiecta æterna, sed etiam ad tempora-  
lia in ordine ad æterna, siue secundum regulam  
legis æternæ. Sic portionis superioris est actio-  
nes circa creaturas per regulas æternæ legis  
moderari, & in Deum ordinare, dum in agen-  
dis temporalibus consulit diuinā voluntatem.

Portio animae inferior est, quæ ad temporalia gu-  
bernanda deflectitur: id est, est ratio versata  
circa temporalia, tāquam circa obiecta. Vnde  
cognitio qua cognosco Deum trinū & unum,  
& cetera ad Deum pertinentia, pertinet ad  
portionem superiorem: cognitio verò qua co-  
gnosco creaturam, pertinet ad portionem in-  
feriorem.

Possibile, est duplex. Quoddam est, quod non  
existit in creaturæ rationalis potestate libera,  
sicut cœlum moueri, vel solem oriri. Aliud est  
possibile, quod existit in creaturæ rationalis li-  
bera potestate, sicut diligere Deū, odisse pro-  
ximum, secundo modo habere gratiā vel fidem  
infusam &c.

Possibile, uno modo aliquid dicitur secundū cau-  
sas inferiores, ut generatio aëris ex aqua, &  
ignis ex aëre &c. secundo, secundum causas su-

## DE LITERA P.

periores, ut miraculorum operatio.

Posse triplex est: posse esse: posse agere, dare, vel perficere: posse pati, recipere vel perfici. Potentia primo modo, quod non est, natum tamen est esse: secundo non agit, tamen natum est agere: tertio quod non patitur, tamen natum pati. Potentiae dicuntur, secundum quas possibiles dicimur, puta potentem irasci, tristari &c. Potentia, est principium agendi vel patiënti. Potentia libera, est potentia indifferens ad opposita, quae scilicet in sua potestate habet utrumque oppositorum, scilicet facere & non facere: & talis potentia dicitur contingenter producenda. Potentia naturalis, est potentia ad unum oppositorum determinata, quae non habet in sua potestate utrumque oppositum: & talis potentia agi necessario, id est, positris omnibus ad productionem effectus requisitis non potest non agere: & nulla causa, respectu eiusdem effectus, potest esse causa libera & naturalis, quia hoc implicat.

Potentia neutra potest quandoque fieri indifferens, vel quae non determinatur ad hoc aut ad illud: unde esse in potentia neutra, dupliciter intelligitur. Uno modo, quando non plus inclinatur ex natura sua actiue ad unum, quam ad aliud: & sic natura assumpta, & quaecunque alia, est in potestate.

## DE LITERA P.

in potentia neutra. Altero modo dicitur esse in potentia neutra, quia si derelinqueretur potentia sua, non plus prædicaretur de eo unum quam aliud: & sic natura assumpta non est in potentia neutra.

Potentia organica, est illa quæ virtutis organo corporali in sua actione, quales sunt omnes potentiae extensæ in materia, sicut potentiae sensitivæ.

Potentia non organica, est illa quæ non indiget organo corporali in sua actione, quales sunt omnes potentiae non extensæ in materia, sicut intellectus & voluntas.

Potentia peccandi, est potentia qua voluntas potest aliquid velle vel nolle, aut etiam non velle, contra legem, cui tenetur obedire. Haec autem potentia nihil est aliud secundum rem, quam liberum arbitrium seu libertas voluntatis, qua potest in variis contradictionibus. Et dicitur potentia peccandi dupliciter. Uno modo dicitur potentia peccandi, ipsa potentia qua peccatur: & sic nominat ipsum liberum arbitrium creatum, quod quidem potest in bonum adiutum gratia. Alio modo dicitur potentia peccandi, potentia ordinata ad peccandum: ut potentia nominat aliquid medium inter substantiam & peccandi actum &c.

## DE LITERA P.

Potentia theologia, dicitur potentia productiva, quae est respectu producibilis in eadem substantia, sive essentia. Sic in diuinis pater habet potentiam productivam filij, & filius habet potentiam quod posse produci. Dicitur et potentia generandi, qua generans generat: sicut generaliter potentia agendi, qua agens agit.

Potentia Dei est duplex, absoluta, & ordinata. Potentia Dei ordinata est, qua leges sequitur a diuina voluntate positas.

Potentia absoluta est, quae abstrahit ab illis legibus: & Deus dicitur illud posse de potentia absoluta, quod simpliciter & absolute potest.

De potentia absoluta aliquid facere, vocant Iuristæ Facere de facto.

De potentia ordinata aliquid facere, vocant Facere de iure.

Potestas, est potentia activa cum aliqua præminentia: vel est facultas propinqua ad exendum in actum.

Potestas sacramenti est triplex, autoritatis, excellentiæ, & ministerij.

Potestas autoritatis est, qua quis ex se principaliiter, non ab alio superiore, potest remittere peccatum: & hæc est solius Dei.

Potestas excellentiæ, est potestas quodammodo inferiori delegato cū prærogatiua: & hæc consistit

## DE LITERA P.

fistit in quatuor prærogatiis, quæ sunt, mereri efficaciā sacramētis, conferre effectū sacramētū, sine sacramentis instituere sacramenta, & in eius nomine conferre sacramenta.

Potestas ministerialis, est potestas dispensandi, vel etiam ministerialiter instituēdi sacramēta.

Potestas baptismi, est potestas conferendi gratiā vel remittendi peccata.

Potestas est duplex, ecclesiastica, & secularis.

Potestas ecclesiastica est, quæ à Christo supernaturaliter & specialiter collata suis apostolis et discipulis, & eorum successoribus legitimis, usq; in finem seculi, ad ædificationem ecclesie militantis, secundum leges euangelicas, pro consecutione vitæ æternæ.

Potestas secularis est, quæ conuenit & alijs non Christianis.

Potestas ordinis est duplex: quædam est respectu corporis Christi veri, & quædam respectu corporis Christi mystici. Prima est potestas confiendi verum corpus Christi & sanguinem eius: secunda est potestas soluendi ex ligandi: & utraq; potestas confertur in collatione ordinis sacerdotalis.

Potestas ligandi & soluendi in foro pœnitentiæ est duplex. Quædam confertur ex vi ordinatis in sacerdotem, quando episcopus impo-

## DE LITERA P.

nit manus super capita ordinandorū. Quædam est executionis, & hæc duplex est: quædam est executionis simpliciter, sine qua habens potestatem primam, neminem soluit & ligat: & hæc aliquando cum ordine non accipitur, sicut quando quis ordinatur ab episcopo non suo, sine licentia sui episcopi, aut quādo ordinatur ab excommunicato &c. Quædam est iurisdictionis.

Potestas iurisdictionis est, quæ requirit prælationem super aliquam plebem vel personam, tanquam materiā super quam exerceri debet tam prima potestas, quam secunda. Materia verò est peccatum per se, & per accidens peccator, eo modo quo conceditur pœnitentiæ sacramentum habere materiam.

Potestas iurisdictionis est duplex: quædam ordinaria, quædam delegata.

Potestas ordinaria est, quæ alicui conuenit ratione beneficij aut dignitatis, in quo vel qua constitutus est ipso iure: & talis est potestas prælationis & curatorū, & hi possunt vires suas alijs committere.

Potestas delegata vel cōmissa, duplex est. Quædam est limitata solum ad arbitrium committentis, & per se nullo iure suffulta, ut est potestas adiutorum, quos curati assumunt in suble-

gamen

## DE LITERA P.

namen laboris audiendi confessiones, siue commissio eius fiat generaliter ad omnes parochianos, siue ad aliquos specialiter, siue ad unum singulariter. Quædam est quasi media inter ordinariam et commissam, quæ seruata forma in iure statuta ampliari potest committentis arbitrio, et non restringi: hæc est potestas fratrum mendicantium.

Potestas præsidēdi dicitur illa, per quam aliquis præsidet et dominatur. Quod autem aliquis præsidet, dupliciter dicitur. Vno modo dicitur ipsa virtus, per quam quis præualet alteri: et hæc virtus absq; dubio à Deo est. Altero modo, id per quod præsidet dicitur modus peruenienti vel promouendi ad has virtutes, excellētiam &c.

Potestas dominandi, vel dicitur respectu omnis rei, quam homo potest ad libitum et votum suum vti. Vel, potestas præsidēdi per excellētiam, in imperādo ei qui est capax rationis et præcepti: vel potestas coercendi subditos.

Potestas diaboli est duplex: una detinens vel attrahens, altera pugnans.

Potestas diaboli detinens, est illa qua attrahebat et detinebat quoscūq; in limbo, et nemo poterat euadere hanc potestatem.

Potestas diaboli pugnans, est potestas præcipi-

DE LITERA P.

tandi in malum, id est, peccatum, vel per fallaciam, vel per potentiam.

Practica, scientia est cuius finis est actus: speculativa est, cuius finis est scire.

Præceptum, est iusso vel imperio faciendi aliquid, vel non faciendi.

Præcepta sunt duplia, affirmativa, & negativa.

Præcepta affirmativa sunt, quæ exprimuntur per propositiones affirmativas: & hæc obligat ad semper, sed non pro semper, quia eorum obligatio est sub distinctione ad hoc tempus, vel ad illud, & ad hanc speciem operationis, vel ad illam.

Præcepta negativa sunt, quæ exprimuntur per propositiones negativas: & ista obligant ad semper, & pro semper: ad semper, id est, pro loco et tempore, id est, aliquando: pro semper, id est, pro omni tempore & loco.

Præcepta à consilijs sic differunt: præcepta remouent quæ charitati sunt contraria: consilia autem sunt impedimenta actus eius.

Præceptum ecclesiæ est, quo ecclesia nobis aliquid præcipit vel iubet.

Præcipere, est actus rationis, quia importat motionem cum quadam ordinatione.

Prædestination, est diuinū propositum dandi vi-

tam

## D E L I T E R A P.

tam æternā. Vel, prædestinatio est ratio træmissionis creaturæ rationalis ad vitā æternā  
in mente Dei. Vel, est cognitio futuræ beatitudinis. Reprobatio, est diuinum propositū dan-  
di æternam damnationem.

Prædestinare nihil est aliud, quam velle dare ali  
cui creaturæ rationali vitam æternā, gratiam  
& gloriam.

Prædicatio, est prædicati de subiecto enūciatio.  
Prædicatio identifica est, quando prædicatū di-  
citur de subiecto, mediante aliquo addito vel  
incluso, quod identificatur subiecto, sine quo  
non conueniret subiecto: vt, essentia est pater  
generans: filius, est essentia communicabilis:  
essentia, est res genita: in his omnibus prædicata  
tum (si ageretur sine addito) negaretur de sub-  
iecto, quia ei additur illud, cui formaliter con-  
uenit, quod additum idētificatur subiecto: hoc  
est, supponit pro eodem, pro quo subiectum,  
ideo mediante illo prædicato de subiecto iden-  
tifica prædicatione. Vnde non verē diceretur,  
Pater est trinitas: sed pater, & filius, & spiri-  
tus sanctus est trinitas.

Prædicatio quædam est per identitatem, quæ est  
in abstractione & ratione formæ non supposi-  
ti, vt iustitia est bonitas quædam per inhären-  
tiā, quæ est in concretione: & hæc est ratio-

DE LITERA P.

ne suppositi, ut album est musicum.

Prædicatum perfectionale est, quod nullam per-  
fectionem siue diminutionem importat, nec ad  
ipsum sequitur imperfætio aliqua simpliciter  
sine respectu alterius. Sic asinus non est simpli-  
citer prædicatum perfectionale, quia requiri-  
tur perfectius asino. Sic scire & intelligere,  
vel sciens & intelligens, sunt prædicata per-  
fectionalia: scientia enim, est perfectio intel-  
leclus.

Prælatus largè sumēdo, est omnis qui habet ani-  
marum curam.

Præmium accipitur pro quolibet quod retric-  
buitur alicui siue bono siue malo: & ita exten-  
dit se ad meritum & demeritū: & est triplex  
præmium, aureæ, fructus, & aureolæ.

Præmium aureæ, est præmium substantiale bo-  
norum, quod per similitudinem aurea dicitur:  
tum quia datur victoribus, nā victori debetur  
corona: tum quia ad similitudinē coronæ, que  
continetur linea circulari, que ita perfecta est,  
ut ei non posset fieri additio, nisi accidentalis.

Præmium aureolæ, est gaudium de operibus à  
se factis, rationem habetibus victoriæ excellen-  
tis, per quod apparebit exterius in corpore  
quidam decor, qui prædictū interius gaudium  
exterius declarabit: & dicitur accidentale præ-  
mium,

DE LITERA P.

mium aureola.

Præmium beatorū est duplex, essentiale, & accidentale.

Præmium essentiale, vel substantiale, secundum quosdam est animæ beatitudo, consistens in clara visione, & perfecta fruitione, & perfecta securitate de predicione visionis & fruitionis perpetuitate, & gaudio quod habent de Deo.

Præmium accidentale est, quod habet bonū cretum pro obiecto, vel quod consistit in gaudio, quod habetur de bono creato, vel de liberacione ab aliquo malo: & dicitur accidentale, non quod sit accidens animæ, quia tū beatitudo etiā diceretur præmium accidentale, sed quia tale præmium non est de ratione beatitudinis animæ, eò quod anima sine illo esset vere beata.

Præposteratio dicitur peruersi ordinis positio: & est triplex: quedam ex debita causa, quedam præter causam debitam, quedam contra debitam causam.

Præposteratio ex debita causa est, quando quis bonum commune præponit bono proprio in temporalibus: & hæc præposteratio facit ad meriti cumulum.

Præposteratio præter causam debitam est, vt si ex sola liberalitate voluntatis meæ magis me exhibeo extranco, quam doméstico.

## DE LITERA P.

Præposteratio contra debitam causam est, ut puto si pater meus magis indigeat, et ego possum ei magis subuenire, & ipso neglecto subuenio extraneo: & hæc inducit peccatum.

Presbyterissa dici potest vxor presbyteri in Græcia, ubi sacerdotes utuntur licite matrimonio prius contracto. vel potest dici aliqua bona matrona vidua vel perfecta inter alias mulieres: vel forte in collegio, illa quæ præfet alijs, ut abbatissa inter matrimoniales.

Præscire Deum aliquid, est Deum euidenter cognoscere rem futuram.

Præsciētia Dei accipitur dupliciter. Vno modo communiter pro præcognitione diuina, respetu cuiuslibet futuri, siue mali, siue boni. Altero modo magis stricte, pro præcognitione sola, quā habet Deus de damnatione reprobiorū.

Præscitū nihil est aliud, quam aliquid futurum præcognitum à Deo.

Præscitus est, qui æternæ vite vel damnationi deputatus est.

Præscriptio vno modo largè accipitur, & extendit se ad vsucaptionem: alio modo distinguitur cōtra vsucaptionem. Primo modo præscriptio sic definitur: Præscriptio est ius quod dam & dominium per continuationē possessio nis temporis à lege diffiniti, autoritate legum vim

## DE LITERA P.

vim capiens, pœnam negligētibus inferens, & finē litibus imponens. Secundo modo sic: Præscriptio est ius ex tēpore capiens firmitatem. Præsens est illud, cuius essentia præsentatur seni sui vel intellectui.

Præstigium, est diuinatio per dæmones ingerentes se visui vel auditui hominū, à præstringendis oculis sic dictum.

Præstationes dicuntur, quæ populis à dominis imponuntur, ut tributum, census &c.

Præsumptio dicitur immoderatio spei dupliciter, supra vires proprias, vel contraiustitiam Dei. hæc est species blasphemiae in spiritu sanctu. Alias est præsumptio, quasi præ alijs sumptio: & hæc opponitur magnanimitati.

Præsumptio confidētiæ de diuino adiutorio non est peccatum, sed est virtutis indicium. Præsumptio superbiæ de proprio ingenio, est peccatum.

Præuaricari, est à recto discedere.

Primitia, est prima pars frugum domino offrenda.

Primitium dicitur ab eo quod est primū: primum autem dicitur aliquid secundum ordinem dignitatis, vel dicitur primum respectu prioritatis. Primo modo Christus assumpsit carnis nostræ primitua: secundo modo dicitur Christus assumpsisse primitua nostræ massæ, non

L

DE LITERA P.

per prioritatem, sed conformitatem & similitudinem.

Principium est id, à quo aliquid procedit quocunq; modo, & è conuerso.

Principium essendi dicitur illud, quod est principium alicuius inesse rei: & capitur dupliciter. Vno modo, pro vna parte alicuius rei, à qua incipit esse, ut motus augmentationis incipit à longitudine: postea progrereditur in latum, demum in profundū. Alio modo, pro prima parte generata, respectu alicuius totius compositi, ex qua cum alijs constituitur totū. Exemp'um est de fundamento respectu totius domus: & illo modo lignum curuum est principium nauis.

Principium fieri dicitur illud, quod est principium infieri seu causari alicuius rei: & de toto dicitur principium fieri, de quot causa: & sic erit principium effectuum, formale, materiale, & finale.

Principium cognoscendi capitur dupliciter, demonstratiue & diffinitiuē. Demonstratiue sic, est unum primum principium per se evidens, ut omne totum est maius sua parte. Diffinitiuē sic, omnis diffinitio siue largē siue stricte scripta, dicitur principium diffinitiuum.

Principium & causa differunt: sic conceditur hæc propositio, Pater est principium filij: hæc

non

DE LITERA P.

non conceditur, Pater est causa filij.

Principium theologicè uno modo capitur essentialiter, sicut cùm dicimus, quòd tres personæ sunt principium creaturarum, id est, sunt una essentia, quæ est principiū creaturarū. Secundo modo personaliter: vt si quando dicimus, Pater est principiū totius deitatis. Tertio modo notionaliter, & sic dicimus quòd spiratio activa, est principium spiritus sancti.

Principium originale est, secundum quod principium dicitur originaliter: sic filius tam quantum ad esse, quam quātum ad durationē habet principium, quia utrumq; habet ab alio.

Principium initiale, quod nec habet principium essendi, nec durandi.

Principia dicuntur etiam communes animi conceptiones, per quæ principia probātur, & ad quæ reducuntur omnia probata in aliqua scientia, in quorum virtute elicuntur omnes conclusiones illius scientiæ: quælibet autē scientia habet sua propria principia, theologia habet sacram scripturam &c.

Principium primum dicitur, quod est communissimum.

Prima principia quandoque nominantur dignitates.

Principium regulatiū hominis est quadruplex.

D E L I T E R A P.

Primum principium regulatiū actuum huma-  
norum, est lex naturalis, quæ consistit in dicta-  
mine rationis naturalis: scilicet omne malū vi-  
tandum, & omne bonum agendum. Secundo  
quis potest moraliter operari, iuxta aliquod  
principium moraliter regulatiū: & sic pru-  
dentia potest dici principiū quoddam iustitiae  
moralis, eō quod regulat omnes alias virtu-  
tes. Tertium dicitur lex ciuilis, quæ humanam  
coercens audaciam, & nocendi refrenans fa-  
cultatem, regulat hominem ad viuendum cum  
cæteris socialiter & ciuiliter, nulli nocendo.  
Quartum dicitur lex diuina, eō quod regulat  
hominem in Deum.

Principium principale dicitur, cui primò siue  
ex se, non per aliud conuenit posse agere vel pa-  
ti: sicut intellectus, cui primum conuenit intel-  
ligere, & homini per intellectū: potentia autē  
est principium principale agendi vel patiendi.  
Principium minus principale, est principiū de-  
terminatum, instrumentale &c.

Priuatio propriè accepta, est quando aliquid ca-  
ret aliqua forma, quam natū est habere secun-  
dum se, & quando oportet, & quomodo opor-  
tet, secundum debitas circumstantias: sic aliquis  
homo post vnum vel duos, si non habeat den-  
tes, dicitur edentulus.

Priuatio

## DE LITERA P.

Priuatio cōmuniter accepta, est quando aliquid caret aliqua forma, quam natum est habere secundum se, sed non secundum debitas circūstantias: hoc modo catulus est cæcus ante novem dies.

Priuatio cōmunius capta, est quando aliquid caret aliqua forma, quam non est natum habere secundum se, vel secundum suum genus: sic talpa est cæca.

Priuilegium, est priuatū ius indultū contra ius commune.

Priuilegium clericorum est duplex, personale, & reale.

Personale est, quod scilicet iniiciēs in eas manus violentas, est excommunicatus.

Priuilegium reale est, quod in causa ciuili vel criminali non potest conueniri coram iudice seculari, sed coram ecclesiastico.

Priuilegiatum dicitur, quod habet priuilegium: unde opus priuilegiatum.

Probatio querit rationem facti, & tangit cor.

Examinatio querit factum, & tangit corpus.

Probabile, quod probatur, vel probari potest.

Processio quædam localis est, sicut aliquis proreditur de uno loco in aliud, quædam causalis vel productiva, sicut aliqua intellectio producitur ab intellectu & obiecto, tūc non opor-

## DE LITERA P.

tet processionem esse ab uno loco.

Processio in diuinis, uno modo capitur pro productione passiuæ vnius personæ ab alia: isto modo dicitur de filio & spiritu sancto. Altero modo, prout importat principaliter huiusmodi productionem passiuam, connotando tamen ipsam personam productâ esse in aliqua creatura rationali de nouo, secundum specialem modum, puta per gratiâ, per quam ipsam sanctificat, et ad vitam æternam acceptat: & haec est processio temporalis.

Processio actiua, idem est quod spiratio actiua: & est productio, qua pater & filius spirant spiritu sanctu, et est vnicâ in duabus personis. Processio æterna, est productio ad intra: vel est spiritus sanctus à patre & filio, tanquam ab uno spirandi principio, æterna spiratio.

Processio temporalis, est productio personæ ad intra, & noua existentia eius in creatura rationali, secundum modum determinatum.

Processio temporalis secundum quosdam est illapsus quidâ, qua persona æternaliter procedens vel producta, illabitur mëti creatæ per sua bona: aut significat substantiam suæ personæ, assistendo sibi specialissimè ad actum bonum meritiorum exequendum.

Productio uno modo est quasi procul ductio:  
secundo

## DE LITERA P.

Secundo dicitur, quasi propter du<sup>o</sup>to, ex sic producūtur creaturæ à Deo; tertio, quasi pro-peidē ductio: isto modo est propriæ in diuinis, vbi producens ad productū sunt eiusdem essentia, licet differant realiter.

Producere libere, est producere voluntarie, com placenter, & non coacte.

Productum, uno modo accipitur pro illo quod est terminus productionis, & denominatur formaliter à productione: sic generatio passiva non est producta, licet per productionem siue generationē actiua recipiat esse in filio: non sic essentia, nec spiratio actiua in filio recipit esse. Alio modo accipitur productum, pro illo quod est idem realiter cum termino productionis: & sic generatio passiva potest dici producta, sed non essentia, nec spiratio actiua.

Producere nihilo, est produci non de potentia subiecti, & quod nihil ipsius sit, quod non accipiat esse simpliciter illa productione.

Prohibitione quedam est indicativa, quæ est quantummodo significatur aliquid non esse agendum, seu aliquid ex quo sequitur ipsum non esse agendum: sicut cum significatione aliquid esse iniustum &c. quedam est imperativa &c.

Promissio, est actus rationis, qui est ordinatio & enunciatio alicuius.

## DE LITERA P.

Promissio simulata, dupliciter potest esse: aut quia non habet stabilitatem, aut quia non habet interiorem sensum correspondentem: et hoc dupliciter, quia quaedam sit timore vel metu, quaedam intentione decipiendi alios.

Propheta dicitur, quasi procul fans: quia fatur, id est, loquitur, denuntiando ea quae procul sunt et remota a naturali cognitione humana.

Prophetia, est diuina inspiratio, rerum euentus immobili veritate denuncians,

Proportio est duplex, quaedam assimilationis, quaedam aequalitatis.

Proportio assimilationis est illa, quando extrema proportionabilia habent quandam assimilationem.

Proportio aequalitatis est, quando extrema proportionabilia quandam aequalitatem habent: anima nostra habet proportionem assimilationis ad quodlibet obiectum intelligibile, et per consequens ipsum Deum: sed inter animam nostram et Deum, nulla est proportio aequalitatis.

Propositum, est actus voluntatis deliberatae.

Proprium est, quod conuenit vni soli personae: ut paternitas patri.

Appropriatum dicitur, quod propter errorem aliquem vitandum alicui personae attribuitur, licet sit commune tribus: ut potentia attributur

## DE LITERA P.

tur patri, ne impotēs credatur: sapientia filio,  
ne minus sapiēs: bonitas spiritui sancto, ne crū  
delis estimetur.

Proprius sacerdos dicitur solus & nullus aliis,  
vel quia istius & non alterius.

Proprietas vno modo accipitur pro aliquo ali-  
cui intrinseco & proprio: sic partes essentia-  
les possunt dici proprietas totius. Secundo mo-  
do, pro aliquo adueniente vel consequente na-  
turam rei propriam ei. Tertio modo non est in  
re cuius est propriū, sed conceptus mentis, vel  
aliquid subordinatum.

Proprietas personalis aliquando accipitur pro  
aliquo realiter existente in persona, quod sibi  
soli realiter competit: quomodo paternitas di-  
citur esse proprietas personalis patris, et filia-  
tio filij. Altero modo capitur pro prædicabili-  
de aliquo verē & conuertibiliter secūdo modo  
per se: sicut visibile est proprietas hominis, eo  
quod de solo homine prædicatur conuertibili-  
ter & secūdo modo per se: & sic dicitur pro-  
prietas logica.

Prouidentia diuina, est voluntas Dei, secūdum  
quam omnia in finem conuenientem deducun-  
tur. Et capitur prouidentia Dei dupliciter:  
vno modo pro ratione ordinis rerū in finem  
suum, quæ ratio est in summo omnium princi-

## DE LITERA P.

pe constituta: & sic planum est, quod Deus omnibus immediate prouidet, quia in suo intellectu habet immediate omnium ratione etiam minimorum. Secundo modo, pro directione & administratione huius ordinis, quae gubernatio dicitur &c.

Prudentia, secundum Doctores scholasticos, est habitus intellectualis, acquisitus, laudabilis, elevans & dirigens liberum arbitrium in agendis vel vitandis.

Prudentia monastica, est regulans personam propriam.

Prudentia oeconomic a, est regulans multitudinem alicuius domus domesticam.

Prudentia legalis vel regalis, est prudentia regulans ordinatiue aut preceptiue multitudinem politicam.

Prudentia militaris, est regulans executiue politiam, propter victoriam.

Prudentia politica, est prudentia regulans politiam per se sufficientem in vita sociali.

Prudentia vera atq; perfecta est, qua consilia cœpissimus, iudicamus & percipimus, quæ ad bonum finem totius vitæ humanæ pertinent.

Prudentia carnis est, qua quis inordinate afficitur, vel studium adhibet ad carnis delectationem consequendam.

Prudentia

## DE LITERA P.

Prudentia terrena seu mundana, est vitium intellectuale, retorquēs actus seu officia prudentiæ ad curam rerum temporalium modis & fine indebitis.

Prudentia præceptiva, est prudentia præcipiens iudicata, & eadem ad opus applicans.

Punitio, in quantum pertinet ad iustitiam publicam, est actus iustitiae commutatiæ, vindictiæ, in quantum pertinet ad immunitatem personæ singularis.

Purgatorium est, in quo simul est poena sensus & damni, utraq; tamen temporalis: ad hunc locum descendunt animæ illorum, qui in peccato veniali ab hac vita decedunt, vel qui suis peccatis etiam mortalibus verè cōtriti, tamen non satisfecerunt.

## DE LITERA Q.



VAD R A G E S I M A dici-  
tur ieunium ante pascha, à sacro-  
sancta ecclesia propter multas  
vilitates institutum.

Qualitas est, secundū quam quales esse dicimur.  
Qualitas morbida, quam causauit Adam in carne sua, est ipse fomes peccati, concupiscentia,  
concupiscibilitas, languor naturæ &c.  
Qualitas quedam intentionis est, que dupli-

## DE LITERA Q.

ter accipitur: aut ratione actus intendendi, aut ratione objecti intenti, quod est finis tantum, & conformiter tantum, quantum possunt accipi nominaliter, & sic respiciunt intentum: vel adverbialiter, tunc respiciunt actum intendendi.

**Quantitas mali est, quæ est in corporalibus.**

**Quantitas virtutis est in spiritualibus.**

**Qui est: hoc nomen principalius appropriatur Deo.**

**Quo est, quod est, qui est, & quis est: in Deo idem sunt re, sed differunt secundum modum intelligendi.**

**Quidditas potest capi vel pro prædicato quidditatiuo, id est, quidditatiuo superiori, vel pro essentia. Per quidditates non intelliguntur, nisi rationales formales quidditatiue, verum in se. Est ergo quidditas, ipsa essentia rei nudè accepta, sine omni respectu. Proinde quidditas dicitur, quasi rei entitas.**

**Quies, uno modo significat cessationē ab omni opere laborioso: isto modo Deus non quieuit, postquam produxit omnia. Altero modo significat cessationem ab opere factō, sine labore & fatigione: & isto modo Deus quieuit.**

**Quietare, est quietem reddere.**

DE

## DE LITERA R.



AD IX varie à scholasticis accepitur. Primum pro libidine siue cupiditate: ut, libido radix est omnium malorum. Secundo, pro amore male accedente, & pro timore male humiliante. Tertio, pro concupiscentia carnis, oculorum, & pro superbia vitae. Hinc superbia dicitur initium omnium malorum.

Radix vero dicitur illud, unde trahitur fomentum & nutrimentum: & ideo cum peccatum trahat fomentum ex parte appetibili, et faciat recessum à Deo, hinc attenditur radix initium ex parte auersionis.

Rancor, est displicentia cōtra aliquem, propter quam desiderat vel quærerit quis malum fieri: & est filia acidiae, aliquando filia irae.

Rapina refertur ad rem, raptio ad personam, raptus ad stuprum. Item accipitur ex rapina, pro omni indebita usurpatione rei siue temporalis siue spiritualis, & sic accipitur ad Philippenses secundo.

Raptus saepe ecstasim, & mentis excessum significat.

Ratio primum dicitur vis intellectiva. Secundo, formam constituens hominem, seu modus cognoscendi, in quantum distinguitur ab ange-

## DE LITERA R.

licis spiritibus: quia homo cum discursu intelligit, angelus autem non cum tali discursu: et sic ratio distinguitur ab intellectu. Tertio accipitur pro diffinitione alicuius entis, seu quidditate, seu ratione formalis. Sic dicitur quod entitas est ratio subiectua entis: et hoc modo dicimus, quod attributa diuina distinguuntur formalis ratione inter se et essentiam.

Ratio est aspectus mentis, quae bonum malumque discernit, virtutes eligit, et Deum diligit.

Ratio quandoque recta est, quandoque non recta, tam in speculatiis, quam practicis. Intellectus autem semper rectus est.

Ratio recta est, quae est conformis diuinæ voluntati: rectitudinis enim omnium contingentium regula, est diuina voluntas.

Ratio non recta, quae et vocatur culpabilis, dicitur dupliciter: aut quia dictat falsum deceptam errore vincibili, ut puta quia dictat faciendum esse, quod non est faciendum. Secundò, quia omnino non dictat de agendo vel non agendo, sed dormit: non inquirit inquirenda, sed simpliciter ostendit obiectum speculatiæ, et non practicæ.

Ratio humana inducta ad ea quae sunt fidei, dupliciter potest se habere: uno modo ut praecedens, puta cum aliquis assentit veritati fidei, propter

## DE LITERA R.

propter rationem cōuincētēm, aliās non creditūr: & sic ratio inducta diminuit meritum fidei, imo totum tollit, ita quod sic assentiendo non meretur. Altero modo ut consequens, cum scilicet homo habeat promptam voluntatem credendi diuinæ autoritati, & diligit veritatem creatam, & semper ea cogitat, si quas rationes ad hoc inuenire posse, non quidem ut firmius credat, sic enim humanam rationem diuinæ autoritati præponeret, sed ut credita magis intelligat, defendat, ac pijs docendo optuletur. Sic ratio humana non tollit meritum, sed est signum maioris meriti.

**R**atio naturalis, dicitur ratio sumpta ex his, quæ nobis apparent de communi cursu naturæ. Sic philosophi multas rationes habuerunt, unum esse Deum, licet non euidentes, tamen probabiles.

**R**atio formalis obiecti, aut intelligitur reale aliquid existens formaliter in obiecto, aut intelligitur aliquid in intellectu obiectum apprehendente: puta conceptus seu cognitio mentis obiectum representans, & quo ab intellectu voluntati presentatur: si primo modo, sic est tantum una ratio essentialis in Deo, plures vero relationes &c.

**R**ationis aliqua esse eiusdem dicuntur, quæ sunt

## DE LITERA R.

similima, eodem modo quo duæ albedines, & quælibet res eiusdem speciei specialissimæ sunt similimæ: vnde paternitas & filiatio non sunt eiusdem rationis &c.

Ratio bonitatis in genere, est ratio perfecti, secundum aliquos: vel est ratio appetibilis.

Ratio bonitatis moralis de genere, est bonitas obiecti, seu materiæ, circa quā est habitus vel actus moralis verè vel participatiæ liber.

Ratio bonitatis moralis simpliciter, est bonitas cōtracta ex fine & obiecto, & cæteris circunstantijs, secundum dictamen rectæ rationis inditæ naturaliter, vel humanitus acquisitæ.

Ratio bonitatis gratuitæ, est bonitas contracta ex gratia gratum faciente & infusa.

Ratio imputabilitatis in actu, est emanatio eius libera verè vel participatiæ à rationali creatura.

Ratio laudabilitatis, est imputatio ad laudem.

Ratio vituperabilitatis, est imputatio ad vituperium.

Ratio seminalis, est forma substantialis ipsius hominis, vel quædā qualitas necessariò sequēs formam substantialē seminis, quæ est quodam modo alteratiua siue dispositiua ad corruptiōnem seminis, vt ex ipso generatur aliquid simile perfectius. Sic corpus Christi nō fuit formatum ex

## DE LITERA R.

tum ex semine, sed ex purissimis sanguinibus virginis.

Rationale est duplex: quoddam rationale principale in se ipso, siue per essentiam, ut intellectus: quaedam sunt rationalia, quia obediunt rationi, sicut filius patri, quae sunt rationalia per participationem. Item, rationale uno modo dicitur, quod habet potentiam discernendi bonum a malo, verum a falso: et sic Deo et creaturae coenit. Alio modo, quod habet potentiam discernendi per inquisitionem et collationem et discursum: et hoc est proprium animae coniunctae carni.

Rationabile uno modo dicitur, quia est de naturali dictamine rationis, sicut principia legis naturae, et conclusiones ex eis euidenter deductae. Altero modo, quia nihil continet rationi contrarium, et ex rationabili causa et modo debito est institutum pro loco et tempore.

Reatus est alligatio ad poenam propter peccatum, vel est ordinatio peccatoris ad poenam. Aliquando sumitur pro culpa, aliquando pro poena, quia est medium quodammodo inter virumque.

Receptacula vocantur loca, ad quae recipiuntur animae defunctorum.

Recidiuare, est iterum cadere.

## DE LITERA R.

Reciduatio, est iteratio priorum peccatorum remissorum per pœnitentiam.

Recidivus dicitur peccator, qui post peccata prius commissa, per gratiam infusam à Domino remissa, nouo peccandi actu Deum offendit, siue per peccata similia prioribus dimissis, siue per dissimilia numero, genere, specie, differentia &c.

Reconciliatio, est amicitiae reparatio.

Rectum, dicitur iustum: unde recti homines, id est, iusti: & dicitur rectū, perfectū officium. Rectitudo naturalis voluntatis, est libertas voluntatis, qua secundum propriam naturam à Deo acceptā, potest se formare rectae rationi.

Rectitudo actus, nihil est aliud, quam ipse actus, qui debite dicitur secundum rationem rectam.

Redemptor, uno modo accipitur principaliter pro eo, qui restituit captiuū libertati prelio accepto. Secundo dispositiue, & quasi instrumentaliter: quia liberationis precium tribuit. Primo modo tota trinitas hominem redemit, quia tota trinitas precium datum, scilicet satisfactoriam passionem acceptauit, propter quam peccatum remisit, non imputando ad pœnam &c. Secundo modo solus Christus est redemptor.

Referri aliquid in finem debitum, tripliciter dicitur.

## DE LITERA R.

citur. Primò actualiter, dum quis actu cogitās de fine, vult actum propter finem. Secūdo virtualliter, quando ex cognitione & dilectione finis deuentum est ad volendum aliquid quod conductit ad finem, licet tunc non cogitet de fine. Tertio habitualiter, quando aptus natus est referri in finem.

Regeneratio, est spiritualis generatio, quæ fit per sacramentum, sicut est baptismus.

Regnativa prudētia est, quæ diligit principem in ordine ad regnum.

Regnum Dei est multiplex. Primū est regnum Dei vniuersale. Secundum, scripturæ: de quo Mat. 21. Auseretur à vobis &c. Tertiū ecclesiæ militantis, de quo plurimæ habentur euangelicæ parabolæ. Quartū est regnum gratiæ, de quo Lucæ 18. Regnum Dei intra vos est.

Quintum, regnum gloriæ, de quo Lucæ 14.

Beatus qui manducabit &c. Sextum est locus beatitudinis, de quo Matthæi 13. Fulgebūt iusti &c. Septimum Christi persona est, de quo Lucæ 11. Si in digito Dei &c.

Regula humanæ voluntatis est duplex: una propinqua, quæ est ipsa humana ratio: altera est prima regula, scilicet lex æterna, quæ est quasi ratio Dei.

Relativus est ordo vniuersi rei ad aliam.

## DE LITERA R.

Relatiua abstracta sunt, quæ important intentionem siue conceptum mentis, quo intellectus refert rem unam ad aliam, id est, cognoscit res ad se aliquo modo habentes, & licet res realiter sint tales.

Relatio est duplex, realis & rationis.

Relatio realis est, quando res significata per relationem siue concretum relationis, est talis, qualis importatur esse per tale concretum sine operatione intellectus: ut relatio similitudinis est realis, non quod similitudo sit respectus ab omnibus absolutis distinctus, sed quia sortes potest esse similis Platoni, circumscripta quacunq; operatione intellectus.

Relatio rationis est, quādo res non est talis, qualis significatur per relationem sine operatione intellectus, sicut relatio prædicati ad subiectū, signi instituti ad signatum, precij ad oppreciatum: quia nihil dici posset prædicatū, signum, premum, sine operatione intellectus: intellectus enim est, qui prædicat unum de altero, qui signa instituit, qui premum rei constituit &c.

Relatio realis accipitur tripliciter. Primo modo per relationē realem intelligitur respectus, qui est res una distincta ab absolutis. Secundo modo sumitur pro multis rebus absolutis relatiū significatis, ut numerus, qui est multæ unitates.

## DE LITERA R.

tes. Tertio accipitur pro termino relatio, qui secundum se vel suum concretum prædicatur de rebus veris taliter, quod res ipsæ tales sunt, quales significat, circumscripto quoque; ope re intellectus: illo modo, similitudo, similis, illi termini sunt relationes reales, similiter parentas, distinctio, identitas &c.

Relatio significat abstracta relativa, ad aliquid concreta.

Relatio intrinseca est, quæ semel posita semper manet, manentibus extremis & fundamento, ut diuersitas, dissimilitudo.

Relatio extrinseca per oppositum describitur, ut vnio, inhaesio, & sex prædicamentorum relationes.

Relatio virtualis non est, qua quis refert in generali ad Deum omnia opera Dei vel anni: sed qua quis refert aliquod opus certū ad Deum, ita ut opus sequēs directā habeat ad opus primum ordinationem & consequentiam.

Religio est, quæ superioris cuiusdam naturæ, quam diuinā vocant, curam cærimoniamq; affert. Vel, religio est cultus diuinus: vel est, quæ se anima vni Deo reconciliatione ligat.

Religiones facilitæ dicuntur, quæ factæ videntur post institutionem legis euangelicæ.

Religiosus non solum dicitur is, qui profitetur

## DE LITERA R.

regulam factitiam, sed omnes qui alicui praelato secundum ecclesiæ ordinationem se subdiderunt, immo eadem ratione quicunq; statum aliquem à Christo aut ecclesia approbatum propter Deum suscipiunt.

Remissio peccati in baptismo quadrupliciter potest intelligi, effectuē, meritorie, ministerialiter: & hoc, vel sacramētum instituendo, vel institutum administrando.

Remissio peccatorum perfecta, est remissio peccati quantum ad culpam & pœnam, talis scilicet remissio quæ tollit omnem reatu & obligationem tam culpe quam pœnæ.

Remitti peccatum mortale nihil est aliud, quam ipsum minimè imputari ad pœnæ æternæ vindictam.

Remissio venialis peccati nihil est aliud, nisi remissio reatus ad pœnam.

Renouari, est nouum fieri: nouum facere, est lauacri: baptismus renouat, pœnitentia &c.

Reprobare, est aliquem indignū iudicare vita æterna, ut est omnis indignus carens gratia.

Reprobatio, est præscientia culpæ, & præparatio pœnæ: vel est ordinatio alicuius creaturæ ad pœnam æternam.

Reprobatio est duplex, affirmativa, et negativa.

Reprobatio negativa, est alicui non velle dare gloriam

## DE LITERA R.

gloriam æternam.

Reprobatio affirmativa, est velle dñnare vel punire aliquem p o peccatis.

Repudium fiebat ex indebita causa, diuortium ex debita.

Requies animarum duplex est, vna in præsenti, altera in futuro : ista habet meritum, hæc præmiū. Per primam habetur secunda, id est, per meritū præmium, sicut scriptum est, Erit sabbatum ex sabbato; hoc est, pro requie peccatoris dabitur requies æternitatis.

Res, secundum quod communiter dicitur à reor reris, comprehendit omne illud quod cadit in cognitione, siue sit exterius, siue in sola opinione.

Res, à ratus, est illud quod non tantum non est in cognitione, imo est in rerū natura, siue sit ens in se, siue in alio: et hoc modo res conuertitur cum ente. alias etiā propriè dicitur res, ens per se et fixum, et sic res dicitur solùm de creaturis et substantijs per se entibus.

Res est triplex, increata, creata, et includēs rem creatam et increatam.

Res in se cognoscitur, quando ipsam et res, et nihil ab ea re vel ratione terminat actum cognoscendi, siue cognitio ipsa sit intuitiva vel abstractiva, præsupponens intuitivam eiusdem rei.

## DE LITERA R.

Res non cognoscitur in se, quando cognoscitur in aliquo conceptu sibi proprio: et hoc maxime, dum cognoscitur conceptus ille de aliquo ente verificari.

Res permanes quandoque capitur pro ea, quae semper manet, et nunquam esse definit, licet esse incœpit,

Restituere, est rem in pristinum statum statuere: et est non solum presentiam rei praebere, sed etiam possessorem facere, fructusque reddere.

Restitutio, est redditio alicuius rei bona, et rei quae fuit iniuste ablata, vel iniuste detenta.

Resurrectio capitur dupliciter: primo modo, pro suscitate animæ à peccato mortali ad statum gratiae: secundo, pro reunione animarum rationabilium in sua corpora.

Resurrectio quedam est in creatu, et est ipsemet Deus efficiens et causans resurrectionem creatam, tam corporalem, quam spiritualem. quedam est creata, et ista est triplex, spiritualis, corporalis et temporalis.

Resurrectio spiritualis est, qua quis resurgit de peccato ad gratiam: et ista solum fit à Deo.

Resurrectio corporalis, est reunio animarum intellectuarum ad corpora sua.

Resurrectio temporalis est, qua quis quandoque cadit de prosperitate huius seculi, et tandem resurgit

## DE LITERA S.

resurgit ad tales prosperitatem: sicut S. Hiob.  
Resurrectio, est copulatio rursus corporis &  
animæ.

Reuelatio dicitur, quasi remotio velaminis.  
Reuerētia, est honor exhibitus in testimonium  
virtutis.

## DE LITERA S.



ACERDOS vno modo idē  
est quod sacris datus. secūdo mo-  
do dicitur sacerdos, qui dat sa-  
cra: tales erant sacerdotes pri-  
mogeniti Veteris testamenti. tertio modo dici-  
tur sacerdos, qui sacra docet: ut maximē sunt  
sacerdotes nouae legis, qui debēt esse sacris da-  
ti, sacra dantes, & sacra docentes.

Sacerdos legalis siue figuralis, est sacerdos ve-  
teris legis, qui licet ipse fuerit mediator inter  
Deum & homines orationibus suis & sacri-  
ficijs, que ipse Deo obtulit, ex donarijs popu-  
li, ei tamen non fuerunt datæ claves ordinis &  
cœlestis regni.

Sacerdos euangelicus est, qui ex traditione epi-  
scopi accepit in sua ordinatione potestatem su-  
per corpus Christi verum, in altaris sacrificio  
conficiendum, offerendum, & populo dispen-  
sandum.

## DE LITERA S.

Sacramentum dicitur à sacrando actiūe, sicut medicamentum à medicando &c.

Sacramentū aliquando accipitur pro sacro mysterio signato, quomodo dicimus sacramentum diuinitatis, incarnationis &c. Secundo modo, pro sacro signo, & hoc dupliciter: uno modo generaliter, pro quolibet signo sacræ rei: altero modo, pro signo gratiæ efficaci, & certoz sicut sacramenta Novi testamenti dicuntur sacramenta.

Sacramentū est, per quod sub tegumento rerum visibilium diuina virtus secretius salutem operatur. Vel, sacramētum propriissimē acceptū, est signum sensibile, gratiam Dei vel effectum gratuitum ex institutione diuina efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris. Vel, sacramēta sunt signa, quæ ex opere operato conserunt gratiam.

Sacramenta quædam sunt puræ fidei, ut baptismus, cōfirmatio, & similia. quædā autem non tantum sunt fidei, sed etiam naturalis distaminis: & talia sunt pœnitentia et matrimonium. Sacramenta legis naturæ fuerunt decimæ, sacrificia, & oblationes.

Sacramenta scriptæ legis, quædā specialiter fuerunt ad remedium, quædam ad obsequiū, quædam ad culum diuinum. Prima pertinent ad peccata-

## DE LITERA S.

peccatorum remissionem, ut circūcisio, hostia  
pro peccato & delicto. Secūda, ad exercēdam  
deuotionem, & vt meritum augeretur: qualia  
fuerunt hostia pacificorum, quæ affreabantur  
ad reconciliādam gratiam diuinam. Tertia, ad  
colendum pietatem instituta, & quandā præ-  
parationem: qualia fuerunt tabernaculum, &  
atrium, & omnia v̄tensilia &c. Res sacramen-  
ti dicitur illud, quod significatur sacramento,  
id est, effectus ille, quem Deus inuisibiliter ope-  
ratur, scilicet gratia vel effectus sacramentalis.

Sacramenti effectus est duplex: quidam præcise  
sequitur opus operatū: quidam verò sequitur  
non tantum opus operatū, sed etiam opus ope-  
rans, id est, dispositionē vel meritum conferen-  
tis sacramentum vel suscipientis.

Sacramentū irreiterabile dicitur, quod idem se-  
cundum speciem & nomen non iteratur circa  
eandem personam: ut baptismus, confirmatio,  
ordo &c.

Sacrum, sacramentum, & sacramētale differūt:  
sacrū enim dicitur quodlibet pertinens ad san-  
ctitatem, siue sit in signo, ut ecclesia, sacra va-  
sa &c. Sacramentale dicitur illud, quod est or-  
dinatum ad sacramentum, ut catechismus &  
exorcismus dicuntur sacramentalia baptismi.

Sacrificium, est oblatio facta Deo in recognitio-

## DE LITERA S.

nem supremi dominij sui, siue fiat actu interiore in spiritu, siue fiat actu exteriori, affectu scilicet & effectu: et sic in genere describitur. Alio modo propriè est oblatio, qua offerebatur aliqua hostia seu victimæ Deo, cuius aliqua pars cremabatur in altari, & altera cedebat ad usum offerētis. Tertio accipitur propriissimè, & dicitur quasi sacrum factum, quia prece mystica consecratur pro nobis in memoria dominicæ passionis: & hæc descriptio solum cōuenit sacramento altaris.

Sacrilegiū dicitur, quasi sacri ledium, vel quasi sacræ legis læsio.

Sacrilegium cōmittitur in personam, ut cum lēditur persona ecclesiastica: vel in locū, ut cum immunitas ecclesiæ vel cœmiterij lēditur: vel in re, ut cum res sacra de loco non sacro, aut res non sacra de loco sacro auferuntur.

Salus est triplex, naturæ, gratiæ, & gloriæ.

Salus naturæ, est integra et tuta in columitas & sanitas corporis cum tēperantia naturæ, cum calido & humido, quod est sanguis.

Salus gratiæ, est gratia gratum faciens, quæ reddit nos gratos Deo.

Salus gloriæ est duplex: una est obiectua, & est ipse Deus: altera formalis & subiectua, & est clara Dei visio, & fruitio essentiæ diuinæ.

Sanctitas

## DE LITERA S.

Sanctitas primo modo dicitur, quicquid dedicatum est ad cultum Dei, & à prophanis separatum: secundo dicitur emundatio à peccatis: tertio, abstinentia ab actu carnalis commixtionis, id est, castitas: quarto accipitur pro confirmatione in bono.

Sanctificare, uno modo est sanctū facere: secundo, sanctū in sanctitate confirmare: tertio, iam sanctum & confirmatum manifestare.

Sanctificari dupliciter contingit: per sanctitatis adceptionem, & per sanctitatis ostensionē siue declarationē. primo modo sanctificantur creature rationales in via & patria: secundo sanctificari Deus potest à creatura.

Sanctificatio est duplex, viæ & patriæ.

Sanctificatio viæ, est infusio gratiæ gratum facientis alicui naturæ intellectuali: isto modo tamen adulti, quam parvuli sanctificantur per gratiæ. Est et sanctificatio viæ, excellens culmen virtutum vel alicuius virtutis: ex isto modo viri perfecti dicuntur secundum theologos, secundum philosophos vocantur viri heroici.

Sanctificatio patriæ est, quæ habetur in patria, & nihil est aliud quam glorificatio: & solus Deus sanctificat hoc modo.

Sanctificatio virginis gloriose duplex ponitur: altera in conceptione passiva, dum anima per

## DE LITERA S.

gratiam sibi concretam infusa est in corpus  
in utero suæ matris, qua gratia præseruata est  
ab originali peccato Altera est in conceptione  
actuosa, qua de spiritu sancto cœcepit saluatorem.

Sapientia pro theologia uno modo accipitur,  
quam acquirimus per studiū sacræ scripturæ:  
qui habitus quo ad explanationem fidei, est per  
señior quam fides infusa.

Sapientia à scholasticis describitur, æternorum  
contemplatio cum delectatione per æterna, in-  
telligens ipsam beatitudinem obiectiuam.

Sapientia Christianorum, est unio mentis, seu  
collectio.

Sapientia euangelica, est sapientia euāgelicæ do-  
ctrinæ, quæ miscetur aliquādo terrena & dia-  
bolica sapientia.

Sapientia diabolica, est superbia indignans &  
austera.

Satisfactio, est redditio voluntaria æquivalen-  
tis, alias indebiti. Vel, satisfactio est operatio  
exterior laboriosa seu poenalis, voluntarie as-  
sumpta, ad puniēdum peccatum commissum à  
se, & ad placandum diuinam offendam. Vel, sa-  
tisfactio est Deo debitum honorem pro com-  
missa culpa impendere.

Satisfactio est duplex, reconcilians, & placans  
Deum. Altera est satisfactio, quæ dicitur solu-

## DE LITERA S.

**t**iua poenæ, quæ poenam temporalem soluit,  
nec est placans nec reconcilians.

**S**atisfactio quædam plena est, quando simul sa-  
tisfactio fit de iniuria & damno. quædam semi-  
plena, qua homo satisfacit pro suo actuali pec-  
cato, non originali.

**S**candalum largè sumitur pro quolibet impedimento alicui præstito in via aliqua, qua prose  
qui intēdit: alias dicitur obex alicui positus in  
via corporali ad ruinam spiritualem, proueniens  
vel ex verbo vel facto minus recto.

**S**cientia in genere accipitur pro qualibet notitia siue simplici, siue complexa, siue actuali, siue habituali.

**S**cientia ab Aristotele descripta, est determi-  
natio intellectus ad alteram partem cum certi-  
tudine.

**S**cientia quædam speculativa est, quædam pra-  
etica.

**S**cientia speculativa, est de speculabilibus.

**S**cientia practica, est de operibus.

**S**cientia adhuc est triplex: impertinentium ad sa-  
lutem, ut scire geometriam &c. Utilium ad sa-  
lutem, ut scire epistolas Pauli. Necessariorum  
ad salutem, ut scire articulos fidei.

**S**cientia ut est donum spiritus sancti, sic defini-  
tur: Est lumen spirituale acceptum à Deo, in

## DE LITERA S.

quo videntur rationes operabilium pertinen-  
tium ad vitam, per quas sancte & meritorie  
vivamus.

Scientia quædam est literalis, quæ est solum gra-  
tia sui, id est, ad solum sensum literalē, & pro-  
ut per terminos importatur, est intelligenda.

Scientia quædā spiritualis est, quæ non est prin-  
cipaliter gratia sui, id est, secundum sensum li-  
teralem solum intelligenda, sed in qua ultra sen-  
sum literalem alijs sensus spiritualis ibi clau-  
sus, est quærendus & intelligendus.

Scire, est propriè rem ratione & per causam co-  
gnoscere: & contingit scire dupliciter, per in-  
ventionem & per doctrinam.

Scire uno modo est cognitionem aliquam de ali-  
quo habere: altero modo scire, est nosse aliquid  
esse verunt.

Scriptura sacra vel sancta dicitur tripliciter, à  
spiritu sancto, à materia, & ab effectu.

Scripturæ sacræ quadruplex est sensus, literalis,  
allegoricus, moralis siue tropologicus, & ana-  
gogicus.

Scripturæ sensus literalis accipiēdus est iuxta lo-  
cutiones in rhetorica, iuxta sermones usitatos,  
iuxta tropos & figuratas locutiones, quas cō-  
muni usus committit, cum consideratione cir-  
constantiarum literæ ex præcedentibus & po-  
sterius

## DE LITERA S.

sterius oppositis.

Scripturæ sensus allegoricus est, quando aliud sonat in litera, & aliud intelligitur. Item per sensum allegoricū etiā alienus status significatur. Scripturæ sensus tropologicus est, qui respicit ad mores seu ad correctionem morum.

Scripturæ sensus anagogicus est, qui ab invisibilibus ad visibilia dicit, ut lux prima die facta, significat naturam angelicam à principio factam.

Secretum duplex est, complexum, & incomplexum.

Secretum complexum, est quælibet veritas profundissima & altissima, quæ non potest cognosci naturaliter ab intellectu viatoris, sed solum per reuelationem: sicut theologica veritas est secretum &c.

Secretum incomplexū, est agibile & practicū, & nihil aliud est quam quodlibet occultum, quod non potest probari in iudicio siue in foro publico per testimonium duorum vel trium.

Secreta sunt duplia: quædam non possunt celari sine peccato, ut si quis diceret sub secreto, quod vellet domum comburere: alia possunt celari sine peccato, ut omnia secreta quæ non vergunt in detrimentum alicuius.

Securitas, est perfecta quies animi à timore.

N

## DE LITERA S.

Sedes quādoq; accipitur pro Deo siue Christo,  
qui requiescit in summa pace , quæ exuperat  
omnem sensum : quandoq; de pedibus sedentis  
super solium excelsum.

Sedes ecclesiæ, hic per gratiā , & in futuro per  
gloriam, dicitur sedes David.

Seditio est speciale peccatum, & est mutua im-  
pugnatio inter partes multitudinis.

Sensus est potentia passiva.

Sēsus exteriores sunt, visus, auditus, olfactus etc.

Sensus interiores sunt, sensus cōmuniſ ſeu imagi-  
natīua, & ſtimatiua, memoratiua, & ſenſitiua.

Sensibile proprieť est, quod non contingit alte-  
ro ſenſu ſentiri , & circa quod non contingit  
errare.

Sensualitas , eſt viſ appetitiua ſenſitiuae partis.  
Item sensualitas aliquando accipitur pro viſ,  
quæ appetit bonum: quandoq; dicitur viſ ani-  
mæ ſensualis.

Sententia iniusta ex animo dicitur, cūm fertur  
non zelo iustitiæ, ſed vindictæ, vel ex liuore  
odij, vel precio, vel fauore alterius partis.

Sententia iniusta ex cauſa eſt, vt cūm non eſt me-  
ritum ſufficiens vel certum, propter quod de-  
beat excommunicari iſte cui infligitur.

Sententia iniusta ex ordine eſt, vt cūm præmitti  
tur ordo iuris, & non ſeruatur.

Sentire

## DE LITERA S.

Sentire, est sensu percipere, quod ad corpus dū taxat pertinet.

Sepultura, est locus concavus in loco ecclesiastico vel cœmiterio factus, in quo corpus catholici conquiescit.

Seraphim significat cœtum angelorū illius ordinis. Seraphin, per in, significat angelū istius ordinis.

Sermo theologicus est, qui est catholicus et usitatus, ab intellectu non dissonus, et rei de qua loquimur consonus.

Signum, quantum est in se, importat aliquid manifestum quo ad nos, quo manuducimur in cognitionem alicuius occulti.

Significare, est aliquid intellectu representare, sit hoc per voces, sit per colores vel species colorū, sit per obiecta quorumlibet sensuum, sit per ænigmata figurarum in scripturis sanctis, sit per revelationes mysteriorum.

Significatio, est excogitationis formatæ per signa et per verba demonstratio: et fit potissimum per locutionem, quæ est vocalis prolatione intentione significandi vel proferendi: quare non est irrationalium.

Symbolum, est omnium credendorū ad salutem spectantium compendiosa collectio.

Similitudo est relatio æquivalentiæ: et potest

DE LITERA S.

aliud esse similitudo alterius duob. modis: uno modo in essendo, & in perfectione quidditativa: altero modo in repræsentando, & in ratione repræsentatiua.

Similitudo duobus modis attenditur: uno modo secundum unius rationis proprietatem, siue naturæ participationem: altero modo secundum unius formæ comparationem. Prima dicitur similitudo proportionis: secunda, similitudo proportionalitatis: & sacramentū gerit similitudinem gratiæ secundo modo, non primo modo, pro eo sicut aqua abluit carnem, ita gratia mundat animam: & sicut oleum lenit exteriori, sic gratia interius.

Similitudo Dei est duplex: æquiparantiæ siue æqualitatis, & imitationis. Similitudo imitationis potest appeti ordinatè & inordinate: ordinatè, ut appetatur similitudo in his, que nostra sunt aptitudinis, & diuinæ acceptio-  
nis, cuiusmodi sunt perfectiones & decores virtutum: inordinate verò, ut homo appetit id, quod non decet, vel quod Deo nō placet: ut si appetat hominibus præesse, vel se de aduersarijs vindicare. Similitudo æqualitatis nullo modo potest appeti ordinatè, sed aliquo modo est appetibilis, aliquo modo non: alio modo est similitudo æqualitatis in aliqua conditione, ut  
in domino

## DE LITERA S.

*in domino præsidentia, scientia &c.*

*Simonia est studiosa cupiditas vel volūtas vendendi vel emendi spiritualia, vel spiritualibus annexa, pro temporalibus. Alij diffiniunt simoniā muneralem ambitum.*

*Simoniacus est, qui vitio simoniæ laborat.*

*Simpliciter dicitur, quasi sine plica, eò quòd caret partibus.*

*Simplicitas opponitur compositioni, vñitas divisioni, identitas distinctioni.*

*Simplicitas summa est, quæ soli Deo est ppria.*

*Simulare, est ostendere quod non est.*

*Simulatio, est propriè mendacium in signis factorum exteriorum, ideo semper est peccatum: sed largè sumitur pro fictione.*

*Sinus theologicè sumptus, est locus in quo Abram cū sanctis patribus usq; ad Christi aduentum perststit. Vel, sinus est locus quietus purgatorij.*

*Syntesis est virtus bene iudicativa de agibilibus, secundum legem communem.*

*Synteresis, attētio, conseruatio, ex pars animæ quæ semper aduersatur vitijs, ex perpetrata mala cōtinuò arguit: quā Latini theologi, corrupto vocabulo, synderesin vocant. Vel, synteresis est potentia nata assentire naturaliter principio practico euidēti, ex terminis dictan-*

## DE LITERA S.

ti, id est, significanti in vniuersale aliquid operandum, appetendum, vel fugiendum.

Synthoma potest accipi pro sequela vel infirmitate.

Societas, est fraternitas quædam & conuentio plurimū contracta ob commodiorem usum & uberiorum quæstum.

Sodomia, est turpitudo in masculum facta.

Solenne est, quod omnibus annis præstari debet: unde solennes cærimonias vocamus, quæ sunt anniuersario sacrificio religiosæ.

Solicitudo, est cura mentis, & inquietudo quæ mentibus inhæret: & est ægritudo animi cum cogitatione.

Solicitudo temporalium futurorum, est irrationabile studium, quo queruntur futura tanquam fines, & ultra necessitatem presentis vitæ.

Solicitudo principalis est, quæ est rei alicuius ut causæ finalis: hæc est quæ habetur de aliquo tanquam principaliter intento, propter quod alia intenduntur, & ipsum tanquam finis intenditur.

Solicitudo Dei est, quæ est spiritualis, qua Deus solicitatur pro suis creaturis.

Solitudo non est de essentia perfectionis, sed est instrumentum congruum contemplationi, non autem actioni.

Sophista

## DE LITERA S.

Sophista vno modo idem est quod sapiens logicus; altero modo capitur in malum, pro aliquo querente vanam gloriam per argumēta falsa. Sors aliquādo capitur pro capitali: & capitale sumi potest pro tota summa pecunie, etiam pro capitali poena, etiam pro capitali sententia poenae. vnde opera satisfactoria facta extra charitatem & in peccato mortali, adueniente gratia non reuiuiscunt, quantum ad collationem gloriæ, seu ad vitam æternam: sed reuiuiscunt & viuificantur, quātum ad remissionem poenæ: & debent in sortem computari, quia principalis effectus pœnitentiæ est satisfacere pro peccato, & euitare pœnam inflictam pro peccato: & capitur ibi sors metaphorice, pro capitali pœna.

Sortilegus dicitur, qui per sortes futura prænūciat, & qui per sortem aliquid eligit.

Sperare, est existimare, credere & confidere. & sperare de aliquo fit dupliciter, aut sicut de adiutore, aut sicut de saluatore. Prima spes potest esse in homine: vnde de beata virgine canitur, Vita, dulcedo, & spes nostra. Secunda spes non potest esse in homine: vnde maledictus est, qui spem ponit in homine.

Spes est habitus infusus vel acquisitus ad actum sperandi inclinās. Vel, spes est certa expectatio

## DE LITERA S.

futuræ beatitudinis veniens ex Dei gratia & præcedentibus meritis: est autem spes formata virtus, non tantum gratuita.

Spirare, pro inspirare, trinitati tantum conuenit.

Spirans uno modo accipitur, ut non supponat, nisi pro persona: sic non est cœdenda illa, Pater & filius sunt unus spirans, quia pater & filius non sunt una persona spirans. Si vero de virtute sermonis supponit, pro omni illo quod spirat, siue sit persona formaliter, siue non sit persona formaliter, cuiusmodi est hoc constitutum ex essentia & spiratione actiua, circumscribendo tam paternitatem, quam filiationem: sic est simpliciter concedenda illa, Pater & filius sunt unus spirans.

Spiratio theologicè sumpta, accipitur tripliciter. Uno modo actiua: sic conuenit patri & filio. Secundo passiuæ, & est motio constitutiua spiritus sancti, qui constituitur ex diuina essentia, & ista spiratione passiuæ: & est correlatum spirationis actiuae. Tertio accipitur ut est commune quoddam vniuersorum spirationi actiuae & passiuæ, ut cum dicitur, Deus est spiritus etc.

Spiritus sextupliciter accipitur: pro aëre, vento, corporibus beatorum, animabus beatorum, virtute imaginativa mente, & Deo.

Spiritus

## DE LITERA S.

Spiritus est duplex, creatus & increatus.

Spiritus increatus, est Deus ipse, & accipitur es-  
sentialiter, & conuenit tribus personis notio-  
naliter, patri & filio & spiritui sancto perso-  
naliter.

Spiritus creatus, est creatura: & est duplex, cor-  
poreus, & incorporeus.

Spiritus corporeus est duplex: nam spiritus qui-  
dam dicitur à spiritualitate, ut distinguitur cō-  
tra corpulentiam: altero modo dicitur spiritus  
à spirando, id est, flando, ut ignis, grando, spi-  
ritus procellarum &c.

Spiritus incorporeus uno modo dicitur à spi-  
ritualitate, & sic pro substantia spirituali capi-  
tur: & est duplex: quidam facit speciem comple-  
tam, & dicitur completus, ut spiritus angelici-  
cus: quidam non facit speciem completam, &  
dicitur incompletus, ut anima.

Spiritus vitalis, est quoddam corpus subtile ne-  
cessariò disponens ad vitam.

Spiritus naturales sunt quædā corpora subtilia,  
disponentia ad corporis cōplexiones æquales.

Spiritus animales, sunt corpora subtilia disponē-  
tia corpus, ut animetur à forma, id est, anima  
rationali.

Spiritus sanctus est tertia persona in diuinis à  
patre & filio procedens, non magis charitas,

## DE LITERA S.

amor, vel dilectio patris & filij, quam pater  
sit charitas, amor vel dilectio filij & spiritus  
sancti.

Spirituale dicitur tripliciter: essentialiter, ut  
gratia & virtutes causaliter, ut sacramenta,  
que causant gratiam suo modo: & effectuē  
vel actualiter, ut prædicare, corrigere, visi-  
tare, orare &c.

Sponsalitia largitas, dicitur donatio propter  
nuptias.

Status pertinet propriè ad libertatem vel ser-  
uitutem in temporalibus vel spiritualibus, quia  
significat immobilitatem & obligationē per-  
sonæ hominis.

Status hominis est triplex: naturæ perfectissimæ,  
qui est in beatitudine, qui est status omnium bo-  
norum congregatione perfectus. Secundus est  
naturæ integræ, nōdum à perfectione suæ con-  
ditionis lapsæ, qui dicitur status innocetiæ: hic  
fuit status hominis in paradyso. Tertius est na-  
turæ lapsæ siue corruptæ per peccatum primi  
hominis.

Status est adhuc triplex: incipientium, qui ani-  
malis: proficientium, qui rationalis est: perfe-  
ctorum, qui spiritualis iudicatur.

Stimulus, per translationem omne id dicitur, à  
quo vexamur: hinc stimulus carnis & vicio-  
rum

## DE LITERA S.

rum dicitur.

Subiectum est triplex: logicum, per se notum.

Subiectū mutationis, quod est subiectū physi-  
cum, ut cūm dicitur, materia est subiectum ge-  
nerationis & corruptionis, vel motus localis:  
vel cūm dicitur, substantia est subiectum acci-  
dētis. Tertium est subiectum considerationis,  
sicut subiectum scientiæ, circa quod versatur  
scientiæ vel artis consideratio.

Subiectum insuper primum, id est, ad equatū ali-  
cuius scientiæ, est illud circa quod versatur to-  
ta scientia vel consideratio, & quod continet  
omnes veritates totius habitus.

Substantia est res habens quidditatem cui debe-  
tur esse per se, & non in alio, scilicet subiecto.  
Vel, substantia est quæ per se stat nullis admi-  
nūculis fulta, vel quæ accidēti aut qualitati sub  
stat atq; subsistit, & quasi illi subiaceat, siue  
quia illam contineat.

Substantia producens, est triplex: quædam pro-  
ducit per tempus magnum, ut homo hominem:  
quædam producit per tempus imperceptibile,  
ut sol splendorem: quædam producit in instan-  
ti, ut Deus.

Substantia etiam accipitur theologicè pro essen-  
tia, pro hypostasi, vel pro persona.

Aliquid dici secundum substantiam potest dupli-

DE LITERA S.

citer; uno modo dicitur secundum substantiam in diuinis, quod indicat substantiam tanquam naturam communem tribus: quomodo dicuntur secundum substantiam, que in diuinis primò & praeceps significant substantiam, non solum identice, ut sunt natura diuina, essentia diuina. Secundo modo communiter aliquid dicitur secundum substātiā, quod indicat substantiam, ut suppositum, non tamen referibile ad aliud: sic capitū cū omnia nomina de Deo prædicabilia ad bimembrem reducūtur diuisionem, ita quod quodlibet dicitur vel secundum substantiam, vel relatiuē.

Subsistere in natura humana sibi cōmunicata, est sustentare eam, & terminare eius dependētiam suppositalē. Refert ergo dicere, Verbum subsistit simpliciter in natura humana, & Verbum subsistit primò in natura humana: patet, quia primum verum, secundum falsum.

Subtile dicitur à virtute penetrandi.

Subtilitas est duplex, spiritualis & corporalis.

Subtilitas spiritualis dicitur esse quædam ingeniōsitas existens in intellectu, disponens ipsum ad acutē & perfectē aliquid cognoscendum. Quædam corporalis, & hæc duplex est, raritatis & virtutis.

Subtilitas raritatis est quædam qualitas existens subiectuē

## DE LITERA S.

Subiectiuē in corpore raro, ipsum disponens ad faciliter pariendum, vel ad hoc quod faciliter penetretur, ut caro, et cetera corpora mollia, quae dicuntur rara, quia mollia, et de facili sunt penetrabilia.

Subtilitas virtutis vel actiuitatis, est quædā qualitas existens in corpore, disponens ipsum ad faciliter agendum, seu faciliter penetrandum: hoc modo corpora gloria habebunt dotem penetrabilitatis, et possunt penetrare omne corpus non gloriosum.

Suffragium secundum theologos est, quo animabus in purgatorio subuenitur, quod ex operae operante meretur mortuus liberationem ex purgatorio, et satisfacit pro peccatis eorum.

Superbia dupliciter accipitur: uno modo generaliter, secundum quod inuenitur in omni peccato, et sic est contemptus obedientiae. Secundo modo acipitur superbia, ut est speciale vitium distinctum ab auaritia et alijs capitalibus vitijs, et sic describitur: Superbia est amor vel appetitus inordinatus propriæ excellentiæ, id est, propriæ magnitudinis habite vel habendæ, seu concupitæ. Vel, superbia, est peruersæ celitudinis appetitus.

Superiores, sunt præfecti vel prælati, qui alios moderantur et gubernant.

## DE LITERA S.

Supererogationis vocem, quære suprà in voce, Opus supererogationis.

Superstitio, est vitium religioni oppositum, secundum excessum. Vel, superstitione est vanare religio cultum diuinū exhibens, vel cui non debet, vel eo modo quo non debet.

Suppositum est nomen secundæ intentionis, significans habitudinem particularis ad natum communē, in quātum in ea subsistit. Vel, suppositum est ens completum, non constituens aliquod ens unum, nec natum inhærere alteri, nec ab alio sustēatum. Et ens completum dicitur ens, quod non est natum esse pars componens alterius. Una natura humana in Christo est ens completum, quia non est pars componens personam Christi: non enim est persona verbi composita ex natura assumpta, licet eam sustentet per primum, scilicet ens completum, siue actualiter componat, siue non: quia nihil quod potest esse pars, est ens completum, sed tamen ens partiale. Id quod dicitur suppositum generaliter in substantia, hoc personam significat specialiter in intellectuali natura.

Suppositum, persona, ex individuum differunt: quia suppositum in plus se habet, quam persona: quia omne individuum de genere substantiæ est suppositum, unde persona est suppositum,  
sed

## DE LITERA R.

sed non econtra: & omne suppositum est individuum, sed non econtra, quia individua accidentium non sunt supposita, tamen bene sunt individua. Suppositū itaq; est superius ad personam: vnde quod est individuum in omni natura, hoc est suppositum in natura per se subsistente substantiali, & persona in natura intellectuali. Individuum verò est res singularis, siue totalis, siue per se subsistens, siue alteri innitens.

Suppositare totaliter, dupliciter accipitur. Vno modo, quia præcise suppositat: sic illud nō suppositat præcise, quo circumscripto nihilominus natura suppositatur. Alio modo, vt est idē suppositare totaliter & sufficienter: sic filius sufficienter suppositat, & tamen circumscripto filio, pater potest suppositare naturam.

Suppositio, est acceptio termini in propositione pro suo significato vltimato de hac agunt dialectici.

Suppositio in terminis diuinis est duplex: quædam est suppositio mediata, alia immediata: unde ille terminus supponit mediate pro patre in diuinis, qui supponit pro patre in diuinis, & tamen non conuertitur cum isto termino pater, cōuersione regulata, per hoc signū, omnis res quæ est: et sic terminus pater, supponit pro

DE LITERA S.

essentia non immediate: & similiter iste terminus, essētia, pro patre, quia licet pater sit essentia, & econtra, non tamen sequitur, quæcunq; res quæ est pater, est essentia: ergo quæcunque res est essentia, est pater &c.

Suspensio pro poena canonica, est prohibitio ab aliquo alias cōueniente, & hoc ad tempus.

Suspensio quedam est ab officio, quedā à beneficio, quedam ab ingressu ecclesiæ &c.

Suspensus dicitur quandoq; ad seipsum, ut quilibet in mortali constitutus, quandoque quo ad se, & quo ad alios, ut qui pro mortali suspenditur iudicio ecclesiæ. quandoq; quo ad alios, & nō quo ad se, ut cūm est ciuitas interdicta propter delicta ciuium, vel secularis potestatis.

Suspicio quedā est temeraria, quæ ex irrationabili causa consurgit, cuiusmodi est confita ex aliquo rumore. Quædam est probabilis, quæ ex signis probabilibus, id est, verisimilibus oritur: propter hanc non debet alicui subtrahi eucharistia. Quædam violenta est, quæ ex signis propè certis & infallibilibus oritur, ut si quis videt interficium, & alium socium secum statem, & gladium cruentum de sua vagina eductum, recondere in vaginam.

Sustentare naturam, potest accipi effectiue vel terminatiue, siue formaliter. Primo modo tota trinitas

## DE LITERA T.

trinitas sustentat naturam humanā in Christo,  
id est, facit eam sustentificam. Secundo modo  
solum verbū sustentat vniōnem naturae crea-  
tæ ad ipsum.

## DE LITERA T.



ABERNACVLVM, tem-  
plum Domini est duplex: vnum  
materiale, templum lapidibus li-  
gnisq; extructum: alterum spiri-  
tuale, quod est cor humanū ad Deū cōuersum.  
Talentum, secundum theologos, est donum gra-  
tis datum, vel gratum faciens.

Templum, est propriè locus in cœlo notatus  
ab augure. alias habet & sua significata per  
se nota.

Tempus, est numerus motus secūdum prius &  
posteriorius.

Tempus dupliciter distinguitur: potest enim ac-  
cipi vno modo generaliter pro mensura dura-  
tionis creatæ seu finitæ, & ita includit æuiter-  
nitatem: altero modo potest accipi strictè pro  
mensura durationis motus vel rei permanen-  
tis generabilis & corruptibilis, & sic non est  
mensura rerum perpetuarum, vt angelorum.

Tempus opportunum, est tempus cōgruum vel  
conueniens.

## DE LITERA T.

Esse cum tempore, est coexistere temporis. Deus est cum tempore: Deus enim est modo, & tempus est modo, ergo Deus est cum tempore. Esse in tempore, est mensurari tempore, sicut generabilia & corruptibilia. Deus non est in tempore, quia mensuratur aeternitate. Esse ex tempore, est esse de nouo, vel ipsum incipere esse: omne autem illud quod incipit, est esse ex tempore. Temporale est, quod mutatur tam substantialiter, quam accidentaliter: id est, quod aliquando definit esse simpliciter, et manus acquirit quod nondum habet, vel perdit quod habet. Vel, temporale dicitur, quod ad tempus durat, & differt ab aeterno & aeo.

Tenebrarum triplices sunt modi, culpæ, poenæ seu misericordia, & defectibilitatis naturæ.

Tendentia est duplex: quædam est tendentia plena, & ista est à gratia operante vel cooperante, & hæc facit virtutem esse formatam. quædam autem est tendentia exilis & semiplena, sicut dicitur de pigro, qui vult & non vult: & ista quidem tendentia potest dare aliquam redditus & vigorem ipsi voluntati, & sortitur nomen virtutis generaliter acceptæ, non virtutis gratuitæ: & ideo tenet rationem virtutis informis, non rationē virtutis formatæ. Quod autem dicitur, quod tendentia in Deum facit credulitatem

## DE LITERA T.

dulitatē esse formatā, hoc intelligitur de tendē-  
tia quæ est à volūtate plenaria: hæc autē non  
potest esse nec in spe, nec in fide, sine gratia.

Tentare, est probare aliquid, vel experimentū  
sumere de aliquo, ut aliquid sciatur.

Tentatio, est quidē motus vel actus natus in cli-  
nare ad aliquod illicitū, procedens à tētatore,  
ut sumat experimentum de bonitate vel mali-  
tia tentati.

Tentatio est triplex, vna à Deo, alia à diabolo,  
tertia à carne: prima est appetenda, secunda  
aliquibus appetenda, aliquibus non: tertia fu-  
gienda.

Tentatio quædam est exterior, quæ est, quando  
nobis extrinsecus malum visibiliter suggeritur  
verbo vel signo aliquo, ut tentatus ad consen-  
sum peccati declinet. Quædā est interior, quæ  
est, quando inuisibiliter nobis natum intrinse-  
cus suggeritur.

Tentatur quilibet, quando in anima aut corpo-  
re in delectatione alicuius vitij titillatur.

Inducitur in temptationem, si suæ cœperit delecta-  
tioni consentire.

Tentio accipi potest quadrupliciter. Vno mo-  
do propriè, vt memoria tenet obiectū: et hoc  
vel per formam impressam, si est ibi obiectum  
in specie; vel per habitum impressum, vel sal-

## DE LITERA T.

tem per illapsum vel existentiam saltem eodem modo tenet, quo obiectum concurrit ad rationem parentis. Secundo modo potest intelligentia dici tenere obiectum in actuali consideratione: & ad hoc potest pertinere quod voluntas dicitur tenere aciem intelligentiae conuersam ad memoriam. Tertio modo tentio pertinet ad voluntatem, ut est concupisibilis, & dicitur succedere spei, eo modo quo per spem voluntas desiderat sibi locum habendum, & per tentionem amat illud bonum habitum: & illa tentio est amor concupiscentiae boni presentis. Quarto modo tentio dicitur esse quidam actus affectionis, vel passio consequens spem passionem, & illo modo non est in irascibili: nullo illorum modorum est tentio de essentia beatitudinis. Primo modo precedit beatitudinem, immo omnem actum secundum. Secundo modo est actus pertinens ad intellectum & premium beatitudinis, quae est in voluntate, vel actus voluntatis respectu actus premij. Tertio est amor boni commodi presentis, & ille amor non pertinet ad beatitudinem, sed amor boni, honesti, vel boni in se. Quarto modo est in irascibili, & illo modo magis appropinquat ad securitatem quae succedit spei passioni, non spei virtuti.

Terminus, ut est primae impositionis, generaliter

## DE LITERA T.

ter dicitur illud quod terminat, siue quietat tendentia vel respectum alicuius in aliquod: et ideo secundum diuersos modos tendendi aliud & aliud est de ratione termini. Alia itaque est tendentia per productionem: per eam enim produces tendit ad esse rei simpliciter. Alia est per transmutationem, nam per eam tendit transmutans ad æquale esse. Alia est per relationem, per eam etenim relatiuum tedit vel respicit ad suum correlatiuum.

Terminus vitæ præsentis, dicitur instans separationis animæ à corpore, quo desijt moriens esse homo.

Terminatum aliquid potest dici duplicitate. Primo, quia est perfectum, sic debet perfectionem, & excludit imperfectionem, & sic domus quando fit, dicitur terminata. Altero modo aliquid dicitur terminatum, quia est habens, vel quia habet finem durationis, & sic debet desitionem excludens durationem: & sic dicitur vita hominis terminari in morte &c.

Testamentum Dei dicitur sacra scriptura Veteris testamenti, in quantum Deus promisit illi populo bona futura, & in quantu illa promissio erat confirmanda & complenda per mortem testatoris.

Theologia, est sermo de Deo vel diuinis.

DE LITERA T.

Theologia est duplex, scilicet viæ et patriæ.

Theologia viæ respicit ens primū ut creditum cum suis attributis, non excludendo intelligen-  
tiam de multis.

Theologia patriæ respicit ens primum ut facia-  
liter visum et obiectaliter in seipso, nō in spe-  
culo vel ænigmate.

Theologia mystica et speculativa differunt, quia  
speculativa theologia est in potentia effectiva,  
cuius obiectum est verum: mystica reponitur  
in potentia effectiva, cui pro obiecto bonum  
affidamus.

Theologia mystica practica est, quæ consistit in  
opere.

Theologia in se est talis cognitio, qualem notum  
est facere obiectum theologicum in intellectu sibi  
proportionato, sicut est intellectus diuinus: un-  
de theologia in se, est de his quæ soli intellectui  
diuino sunt naturaliter nota, hoc est, de Deo,  
qui solus est naturaliter notus.

Theosebia est honor summus, qui est cultus di-  
uinus.

Tetragrammaton, est nomen secundæ imposi-  
tionis, apud Iudeos ineffabile.

Timor secundum philosophos, est expectatio fu-  
turi mali.

Timor uno modo accipitur pro passione appeti-  
tus

## DE LITERA T.

tus sensitiui vel intellectui, naturaliter sequente apprehensionem alicuius disconuenientis, ut possibiliter futuri. Secundo modo pro actu elicito consequente huiusmodi apprehensione & passionem, qui in voluntate est actus nolendi, fugiendi, aut repellendi, aut cauandi huiusmodi inconueniens. Tertio modo accipitur pro habitu ad huiusmodi actus inclinante, acquisito, aut à Deo immediate infuso.

Timor gratus dicitur, in quantum beneficiatus timet offendere beneficium, à quo recipit beneficium, ne sibi videatur ingratus.

Timor sanctus dicitur, in quantum est bene ordinatus respectu obiecti, & talis timor solum est respectu Dei.

Timor naturalis est, quo quis timet naturaliter mortem, sive horribile aliquid, ante deliberationem rationis: quia timor non est vitiosus.

Timor mundanus, est timor alicuius disconuenientis temporalis, propter cuius fugam deseritur Deus: hoc est, est actus vel habitus, quo eligit appetitus deserere Deum per transgressionem precepti, ne deserat bonum temporale, seu ne incidat periculum amissionis vitae aut delectationis corporalis, aut rerum mundanarum.

Timor seruilis dupliciter accipitur. Vno modo, ut includit deformitatem seruilitatis peccati,

## DE LITERA T.

Et sic est habitus vel actus declinandi malū cul  
pæ, propter euasionē pœnæ futuræ, cū actua-  
li promptitudine, non declinando malum, si  
pœnæ non sequerentur: ut cūm quis timet pœ-  
nas, et timendo dolet, quod tales pœnæ in-  
fliguntur pro culpa, et actu valet peccare, si  
non essent illæ pœnæ. Secundo modo accipitur  
seruilis, ut non includat huiusmodi deformita-  
tem, scilicet voluntatem peccandi, si pœna non  
sequeretur, et sic est habitus vel actus declina-  
di peccati propter pœnam peccato debitā: ut  
si quis apprehendit per fidem pœnas æternas  
debitas mortali peccato, et ideo elicit propo-  
situm non peccādi, timens pœnas ibi sistendo,  
non habendo propositum conditionale peccan-  
di, si non sequerentur pœnæ.

Timor initialis, est quasi medius inter seruilem  
et castum seu filialem: medius per participa-  
tionem extremerū: iste enim timor nec ex toto  
est seruilis, nec ex toto castus, sed est tanquam  
medius, aliquid de seruili, et aliquid de casto  
timore habet: facit enim partim seruire timore  
pœnæ, partim amore iustitiae, per quem time-  
mus dñari, et timemus offendere: vnde timor  
initialis sic describitur, Est actus vel habitus  
seruendi Deo, propter cauere Dei offensam,  
et simul pœnam diuinæ legis transgressoribus  
debitam

## DE LITERA T.

debitam: ut dum quis apprehendit indignitatem diuinæ offensæ, eiusq; malitiam, et horret eam, simpliciter et pœnam offensoribus præparata, et elicit nolle offendere Deū propter cauere vtrūq; scilicet Dei offensam et pœnā. Timor amicalis, vel castus, vel filialis, idē est. dicitur amicalis, quia causatur ex amore Dei, qui est amicitia. Filialis dicitur, quia respectu offensæ Dei, qui est pater noster. Et dicitur castus, quia Deus metaphorice sponsus animarum nostrarum est. Hic timor est habitus vel actus cauendi Dei offensam, et reuerendi Deum propter offensæ malitiā, et diuinæ dignitatis amorem: ut cūm quis apprehēdit summam Dei dignitatem quam diligit, et summam malitiam offensæ huius dignitatis, quam horret, ut contrarium dilectio.

Timor mercenarius est, qui fit timore amissionis æternæ mercedis sive beatitudinis.

Tonsura non est ordo, sed dispositio ad ordinis susceptionem: verū conceditur tonsuram esse aliquid sacramentale.

Totum integrale, est compositum ex partibus ipsum constituētibus: sicut compositū substantiale, quod componitur ex materia et forma.

Totum vniuersale, est conceptus communis, ut conceptus generis.

## DE LITERA T.

Totum potentiale, est quod in se continet perfectionem aliquorum eminenter.

Totum integrale capitur dupliciter. Proprietate, est illud quod cōponitur ex partibus quantitatem habentibus: illo modo Christus non dicitur totum integrale, quia licet Christus habeat duas naturas, non tamen sunt eius pars, eō quōd Deus non potest esse pars, cūm hoc importet imperfectionē: ergo Christus non dicitur compositum. Totum integrale impropterē captum, est quod complectitur plurima entia, non tamē per compositionem, sed per ordinem vel uniuersitatem: illo modo Christus dicitur totū integrale. Totum integrale adhuc est duplex, homogeniū, & heterogenium.

Totum integrale homogenium, est illud quod est eiusdem rationis in toto & partibus suis, cuius scilicet quaelibet pars recipit prædicationem totius in recto, ut quaelibet pars vini est vinū.

Totum integrale heterogeniū, est illud quod non est eiusdem rationis in qualibet parte & toto: nam caput non est homo, similiter & cor non est homo.

Traducere significat à loco ad locum ducere: aliquando est ad ulteriora ducere, quandoque transferre, aliquando deridere & infamia afflere, & in exemplū proponere: aliquando nutritire,

## DE LITERA T.

trire, souere, sustinere &c.

Traductio propriè dicitur in generatione animalium, quæ est per decisionē seminis: vnde nō potest dici quòd traducitur ab aliquo illud, quod ab eo originē non habet, nec decisionem recipit vel diuisionē: sicut patet de anima rationali, quæ non potest traduci ex aliquo, cùm creatur ex nihilo.

Tradux vel traductio, est productio alicuius animalis ab aliquo animato per decisionem vel diuisionem alicuius corporis, vel partis corporis à producēte: vnde catholicē tenendum est, quòd animæ rationales non sunt extraducarie, sed immediate creantur. Trahuntur ad Deum quidam suauiter, per leues inspirations: quidam violēter, per tribulationes & vexationes.

Transformari, est in aliud mutari atque verti. Vnde in eucharistie sacramēto fit transformatio panis, in essentia sua remanentibus accidentibus: & mens in Deum transformatur, dum remanet quidem essentia mentis, sed accidentia noua succedunt, non fantastica, non materialia, sed deiformia, diuina charitate radiatæ. Transubstantiatio, est immediata successio substantiæ ad aliquid posituum, desinens esse secundum se, & quodlibet sui, sub iisdem acci-

## DE LITERA T.

dentibus, vel loco eius quod definit esse.

Transsubstatiatio accipitur dupliciter: uno modo communiter, et sic definita est modo. & alio modo strictius, tunc definitioni additur, primò & principaliter intentæ à conuertente, ut sic dicatur: Transsubstatiatio est immediata successio substantiæ primò & principaliter intentæ à conuertente, ad aliquid posituum &c.

Tremor, est effectus timoris propter debilitatem virtutis, ex defectu caloris.

Triclinium cordis est, in quo habitat animus et anima, vir & vxor sua, vigor perceptivus, vigor cognitivus, & vis activa.

Trinitatis nomen, est nomine collectiū, supponēs immediate pro tribus personis simul, & pro nullo earum seorsum.

Trinitatis nomen significat unitatem essentiæ in recto, et numerum personarum in obliquo, quo ad etymologiam, sed quo ad significationem est ē conuerso.

Trimus specialiter ad hoc inuentū est, ut significet pluralitatē in suppositis, cū unitate formæ.

Tristitia duplex est, secundum Deum, & secundum seculum. quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur: tristitia secundum seculum, mortem operatur.

Tristitia præter rationis imperium est, quæ est contra

## DE LITERA V.

contra rationis iudicium rectum: & est tristitia  
præter rationis imperium, quæ consurgit ex  
quadam necessitate & surreptione, sicut motus  
primi: & haec quidem communis est sapiētibus  
& insipientibus, bonis & malis.

Turpiloquiū, est filia luxuriae, quia luxuriosi,  
quorum est cor turpibus delectationibus ple-  
num & cōcupiscentijs, de facili ad turpia ver-  
ba prorumpunt.

## DE LITERA V.



A N V M, siue Vanitas, capi-  
tur quadrupliciter. Vno modo  
aliquid dicitur vanum vanitate  
corruptionis, quod est corrupti-  
ble: & sic omnis creatura est vana. Alia est  
Vanitas variationis, qua aliquid potest mutari  
de uno accidente in aliud accidentē. Alia est va-  
nitas vitiositatis, qua aliquid dicitur vitiosum  
& culpabile: & sic peccator dicitur vanus.  
Alia dicitur otiositatis, qua homo iocose vivit.  
Vana gloria uno modo dicitur appetitus digni-  
tatis & excellētiæ, & sic est eadem cum super-  
bia. Alio modo dicitur appetitus laudis, & sic  
est filia superbiæ.  
Velle, est in se volitionē habere: & accipitur in  
nobis dupliciter. Vno modo ut nominat actum

## DE LITERA V.

potentiae affectiuæ, ut est quedam potentia naturalis. Alio modo, ut nominat actum liberi arbitrij. Primo modo velle aliquid, idem est quod affici circa illud: alio modo velle, idem est quod eligere.

Velle absolutum est, quando aliquis simpliciter obiectum ostensum non vult actu positivo, sine quacunq; conditione: ut dum quis vult mori. Nolle absolutum à contrario describitur.

Velle conditionatum est, dum quis vult aliquid propter certam conditionem existetem. Nolle conditionale à contrario describitur, dum quis vult aliquid propter certā conditionē existentem, quod tamē quantum in se est, nollet sublata conditione tali: ut, si mercator in periculo maris existens, projicit merces, ut euadat periculum, respectu proiectionis mercum habet nolle conditionatum.

Velle aliquid est dupliciter: vel exiliter & semi-plenè, sicut dicitur, piger vult & non vult: vel plenè & sufficiēter, sicut dicit Apostolus, Deus operatur in nobis velle & perficere. Primo modo potest esse in peccatore, secundo non potest esse sine gratia præueniente.

Velle deliberatiū dupliciter accipi potest: uno modo pro velle liberè, post liberam & certam rei cognitionem seu cogitationē: altero modo

pro

## DE LITERA V.

pro velle, post intellectus reconciliationē. Secundum hunc modum communius accipitur à philosophis.

Venatio oppressiva est, qua opprimuntur pauperes.

Verbum quintupliciter accipitur. Largissime, pro actu intelligendi gratuito, siue producto, siue complexo, siue incomplexo. Secundo accipitur pro quolibet actu complexo mentali indicatiuo, qua alicui assentitur vel dissentitur, siue vero, siue falso. Tertio, pro actu indicatiuo vero, noto gigni ex habitu scientifico, vel saltē habitu vero. Quarto, pro notitia vera cum amore prolata. Quinto, pro cōceptu mentis, siue sit subiectiuū in anima, siue tantum obiectiuū, siue sit actus intelligendi, siue non.

Verbum immanens, est aliquid in intellectu productum, expressiū eius quod actualiter dicens nescit: & quia est expressiū, ideo simile expresso representatiue: expressio enim & manifestatio fit ratione similitudinis.

Verbum mētale quatuor requisita habet: primū, quod sit aliquid in intellectu: secundum, quod sit aliquid in mente genitum, ut sit proles quædam: tertium, quod sit similitudo rei & imago eius: quartum, quod sit expressiū siue manifestiū rei, cuius est verbum.

## DE LITERA V.

Verbum vocale, est aliquid in voce, subordinatum verbo mentali, quod non significat verbū mentale, sed significat rem illam ad placitum, quam verbum mētale, cui subordinatur, significat naturaliter.

Verbum transitorium & prolatum, est creatura à Deo producta, spiritus dei manifestatio: & sic capiendo verbum est essentiale, quantū ad terminum à quo producitur, quia æqualiter à qualibet persona producitur, & æqualiter omnes manifestat.

Verbū imperatiui modi multipliciter accipitur: aliquando præceptorie, aliquādo consultorie, aliquando insinuatorie, aliquando permissiue.

Verbum otiosum, est illud quod nō ordinatur in finem, & quod caret omni vtilitate, cùm tamē aliquam deberet habere.

Verbum diuinum, est persona seu notitia genita de scientia dicentis, quæ est Dei & omnīū creaturarum, tanquam obiectorum cognitorum.

Veritas est adæquatio rei ad intellectū: & hæc definitio philosophica est.

Veritas dicitur dupliciter: uno modo secundum quod consistit in quadam adæquatione rei ad intellectum, cuiusmodi est veritas intellectus. Alio modo pro voluntate manifestandi se exteriis in signis & operibus, secundū rectum iudicium

## DE LITERA V.

dicium rationis.

Veritas rei duplicitur accipitur: uno modo vel refertur ad existentiam rei, secundo modo ad efficaciam.

Veritas existentiæ est, cum res habet quicquid ad eius essentiam pertinet.

Veritas efficacia est, cum res habet effectū suum ad quem ordinata est: quomodo homo carens rationis usu, aut non viuens secundum rationem, dicitur non esse verus homo, sed bestia.

Veritas theologica, est veritas necessaria viatori ad æternam salutem habendam: hoc est, theologica veritas, est veritas cuius notitia adhæsua necessaria est ad salutem explicitè vel implicitè habenti usum rationis etiam apprehendēti: ut omnes veritates in canone Bibliæ, sunt veritates theologicae, et sufficit ad salutē eas credere implicitè.

Veritas catholica, est veritas reuelata à Deo in se, vel in suo antecedente, pertinentes ad religionem.

Veritas est triplex, doctrinæ, vite, et veritas iustitiae. Prima docet nos cognoscere verum et falsum: secunda bonum discernit à malo: tertia nos docet facere uniuersitatem iustitiam, cui libet redendo quod suum est.

Verum determinate est, quod est verum, sic, quod non est falsum.

## DE LITERA V.

Verum contingenter est, quod potest esse falsum;  
& nunquam fuisse verum.

Veritas Dei erga nos, consistit in seruando pro-  
missa, & non fallendo in reuelatis in lege.

Veritas primo modo dicitur veritas missa: sic  
filius Dei dicitur vermis, Psal. 21. Secundo mo-  
do dicitur animal. tertio modo dicitur vermis  
à rodendo, qui à rodit & remordet: sic vermis  
spiritualis, scilicet synteresis, est continuus re-  
morsus conscientiae, qui oritur ex putrefactione  
peccati, & concursu duorum mouentium, vo-  
luntatis naturalis, & voluntatis liberæ, sibi in  
uicem obitantium, & sibi inuicem resistentium.

Vestigium vno modo accipitur pro derelicto ex  
aliqua causa: hoc modo sumus vel admistio de-  
relicta ex igne dicitur vestigium. Secundo mo-  
do pro impressione alicuius in aliquod sibi ca-  
dens, remanens in sui absentia ducens: hoc mo-  
do in cera relinquitur vestigium sigilli. Tertio  
modo pro impressione partis alicuius totius in  
aliquod sibi cadens, remanens in absentia eius  
rememoratum eius &c.

Vestigium ad Deum, est similitudo Dei imperfa-  
cta, reperta in creatura nata ducere in cogni-  
tionem recordatiuam appropriatorum vel ali-  
cuius proprij, sed non propriarum trium per-  
sonarum. Et omne ducens in notitiam Dei, vel  
est

## DE LITERA V.

est imago, vel est vestigium.

Vestigium Dei tripliciter accipitur: aliquando pro prouidentia Dei occulta: secundo modo pro opere Christi reliquo in mundo, vel pro exemplis vitae eius sanctae: tertio, pro radio creaturae, qui nos dicit in cognitionem creatoris.

Via in cœlum, est via mandatorum Dei, iuxta illud, Si vis vitam ingredi.

Viator dicitur qui tendit ad beatitudinem: comprehensor, qui beatitudinem iam obtinet. Vel, viator, seu creatura viatrix, est rationalis natura, quæ nec est beata, nec damnata.

Videre Deum tripliciter dicitur, visione corporali, imaginaria, & intellectuali.

Vindicare, nihil est aliud, quam velle punire, vel velle poenam infligere alicui pro peccato: ut Deus vindicat peccata, quia infert poenam pro peccatis.

Vinum aliud est naturale, aliud spirituale: et hoc est quintuplex. Bonum & delectabile, ut est vinum gratiae spiritus sancti. Vinum scientiae, ut Canticorum s. Vinum bibi &c. Vinum sumnum, est vinum æternæ gloriae, quæ est ipsemet Deus. Vinum vanum & detestabile, ut est vinum delectationis humanæ & luxuriae. Quintum est durum, & execrabile, & est poena eterna.

## DE LITERA V.

Violentum est duplex, vnum simpliciter, alterum mixtum.

Violentum simpliciter est, quando aliquis cogitur absolute, ut puta contra omnē voluntatem.

Violentū mixtum est illud, quod quamvis secundum se non placeat homini, tamē in ipsum consentit, ne eueniat ei maius malum.

Virginitas est abstinētia ab omni coitu tam licito, quam illico, & integritas mentis & carnis : vel, est habitus continentiae perfectus & decorus.

Virtus secundum philosophos & theologos in genere, est bona inclinatio creaturæ rationalis ad operationes naturæ sue congruas laudabiliter exercendas.

Virtus accipitur primum communissime, secundum quod diuiditur in virtutem moralem, politicam, & gratuitam. Secundò communiter, ut diuiditur in politicam, que est habitus acquisitus: & gratuitam, que est habitus infusus. Tertiò strictè, pro habitu infuso tantū, siue gratiis datus, siue gratum faciens. Quartò strictissime, pro habitu gratuito gratum faciente, determinatiue ad operabilia.

Virtus secundum Aristotelem, est mediocritas duorum vitiorum, alterius secundum excessum, alterius secundum defectum.

Virtus

## DE LITERA V.

Virtus quædam est intellectualis, quædam moralis, quædam theologica.

Virtus intellectualis, est virtus seu habitus dælictus ac causatus ab actibus intellectus apprehensius, vel adhæsius, inclinans intellectum ad obiecti cognitionem, aut ad veri inquisitionem. Virtutes intellectuales sunt sapientia, scientia &c.

Virtus moralis in genere, est habitus acquisitus laudabilis, iuuans & eleuans animam ad operationes suas intellectuales vel effectivas elicitas vel imperatas laudabiliter exercendum.

Virtus moralis infusa, est qualitas bona mentis, qua recte vivitur, & qua nullus male vtitur, quam solus Deus in nobis operatur.

Virtus theologica, est habitus à Deo solo infusus eleuans liberum arbitrium, id est, facultatem rationis, aut bonitatis, aut vtriusq; ad Deum immediate obiectaliter & laudabiliter attingendū. Alias sic describitur est recta ratio perducens ad ultimū finem. Et sic sunt tres theologicæ virtutes, fides, spes, & charitas.

Virtus vera dupliciter dicitur: uno modo quæ rarū est virtutis opus, vel nata est habere quantum est de se, & veritas de essentia virtutis. Alio modo dicitur vera, quæ perducit ad finē: & hæc veritas non est essentialiter virtuti, sed

DE LITERA V.

tamen dicit virtutis statum sine continuatione.

Virtus est adhuc duplex, sanativa, et operativa.

Sanativa appropriatur spiritui sancto, opera-  
tiva appropriatur filio.

Virtus naturalis, vel naturaliter insita, est bona  
inclinatio creaturæ rationalis, non acquisita,  
sed innata ad operationes naturæ sue cōgruae  
laudabiliter exercendum. Vitium naturale op-  
ponitur.

Virtus heroica conuenit cum beatitudine, & est  
virtus excellēs, ad quam communis hominum  
vita non attingit: huic opponitur bestialitas.

Vires ad corpus solū pertinet, virtus ad animū.  
Visibile dicitur, quod videri potest.

Vita triplex est, corporalis, carnalis, & perso-  
nalis.

Vita spiritualis, est vita animæ, qua vivit per  
gratiam.

Vita Dei, est scientia Dei, qua nouit omne pro-  
ducibile productum: & est essentia diuina.

Vitalitum, sunt redditus empti ad vitam.

Vitium opponitur virtuti.

Vitium capitur dupliciter, aut quia præcipuum  
& magnum est in genere vitioso, aut quia ca-  
put est & principium aliorum. Vitium gene-  
rarium est peccato.

Vivificare, est viuū facere, & aliquid dicitur vi-  
vificare

D E . L I T E R A . V .

uificare quadrupliciter : effectuē, & sic solus  
Deus viuificat ; formaliter, sic gratia expellens  
peccatum &c. affectu, sic fides operans per di-  
lectionē, viuificat : exercitij ysu mandata, qui-  
bus exerceetur iustitia, viuificant : & ratione sa-  
cramentalis gratiae.

Vnctio spiritus sancti, est sapientia diuinitus in-  
spirata, docens de omnibus.

Vnctio extrema, est extremum sacramentū, quod  
solum periculose infirmis, de quorum vita non  
amplius speratur, porrigitur.

Vnio, significat concordiam.

Vnio quædā est corporalis, quædam spiritualis.

Vnio quædam est amantis cum amato.

Vnio experimentalis, est pre gustatio quædā glo-  
riæ, pignus & arra felicitatis æternæ : cui con-  
traria est dispersio vel auersio.

Vnio, qua formaliter vnitur humana natura ver-  
bo, est qualitas absoluta de prima specie quali-  
tatis, quia disponit naturam humanam ad me-  
lius, non autem ad meliorem operationem, sed  
ad maiorem dignitatem.

Vnio ad totam humanam naturam, quam verbo  
assumpsit, est triplex : quædam gratuita, quædā  
beata, quædam hypostatica.

Vnio gratuita est, qua verbum diuinum vnitur  
naturæ humanæ, quam assumpsit per gratiam.

## DE LITERA V.

gratū facientē: immediate enim repleuit Deus illam animā, quam assumpsit summa gratia in primo instanti suæ creationis.

Vnio beata est, quæ fit per claram visionem Dei: istam habuit etiam ab instanti suæ creationis, nec magis videt modo, quam tunc in cruce.

Vnio hypotactica est, quæ tantum videt sicut unio suppositalis: & capiendo largè vniōnem hypotacticā est triplex. Personalis, quæ est in qua assumitur aliqua natura in vnitatē personæ, ut assumptio naturæ humanæ. Suppositalis est illa, qua assumitur aliqua natura in vnitatem suppositi, ut si Deus assumeret naturam lapidum. Sustentabilis est illa, qua assumitur aliqua natura in vnitatē individui, ut si Deus assumeret materiam primam, quæ nec est suppositabilis, nec personalis, tamen Deus eam sustentaret.

Vnio suppositalis, est quædam entitas positiva, recepta in natura assumpta, siue sit relatio ab omnibus absolutis distincta, siue qualitas quædam absoluta, qua formaliter fit huiusmodi assumptio: qua posita in natura assumpta, ipsa est vnitæ, & ea remota definit esse vnitæ: quam entitatem positivam, Doctores nominant gratiam vniōnis.

Vniri diuinam naturam humanæ, nihil est aliud, quam

## DE LITERA V.

quād diuinā personam, quā ab ēterno fuit hy-  
postasis respectu diuinæ naturæ, esse hypostat-  
sin respectu humanæ naturæ in tempore.

Vniri, est cum aliquo alio esse in eodem supposi-  
to, non curando an ipsum sit terminus depen-  
dentiæ alterius, siue non. Assumi autem, est ad  
aliud sumi, et est dependentiam suppositalem  
ab alio terminari.

Vnibilia esse proportionata, dupliciter potest  
intelligi. Vno modo quantum ad gradum per-  
fectionis, ita quod vnum perfectionaliter distet  
ab alio secundum certum gradum propor-  
tionis, ut sit duplo vel triplo perfectius alio, aut  
aliqua alia certa specie proportionis. Altero  
modo potest intelligi aliqua esse proportiona-  
ta, quantū ad aliquam habitudinem, quavnum  
potest dependere ad aliud, vel aliquid recipere  
ab alio, aut agere in aliud, et huiusmodi.

Vniuersale dicitur, quod ad vniuersos pertinet.  
Vniuocum, est cōceptus vnuis naturaliter pro-  
prie significatiuus.

Vnitas est duplex, essentialis, et personalis.

Vnitas essentialis est illa, qua essentia formaliter  
dicitur vna, in quantum essentia: et sicut vni-  
ca est essentia, sic nō sunt plures vnitates essen-  
tiales, quam vnicā.

Vnitas personalis est illa, qua formaliter perso-

DE LITERA V.

na dicitur vnitas, in quantum persona: & sic tres sunt personæ in diuinis, & sic tres sunt vnitates personales.

Vnitas membrorum ecclesiæ est triplex: vna est charitatis, & ita soli habentes charitatē dicuntur esse membra ecclesiæ. Alia est vnitas in donis naturæ, sic omnes homines connectuntur in intellectu, & in ratione. Tertia est vnitas in simili participatione sacramentorū, & præser tim in vnitate baptismatis, in qua character imprimitur &c.

Vocare Dei, est producere rem in esse.

Volitio, aliquando accipitur generaliter pro omni actu voluntatis, tam affirmatiuo, quam negatiuo, id est, pro velle et nolle: sic omnis intentio est volitio, & vice versa.

Volitio est duplex, efficax, & remissa.

Volitio efficax est illa, qua voluntati non solum placet volitum, sed etiam post statum ponit in effectum.

Volitio remissa est illa, qua voluntati placet volitum, non tam in tantum ut ponat in effectum, etiam cum possit. Similiter nolitio est duplex: efficax scilicet, qua non solum odit voluntas nolitum, sed etiam si possit, omnino impedit & destruit ipsum: ut est respectu infirmitatis in probo medico. Altera est nolitio remissa, ut est,

illa

D E L I T E R A . V .

illa qua voluntas odit nolitum, ita tamen quod non destruit seu impedit nolitum: yt est infirmus qui potest sibi prouidere de remedij, et tamen non facit.

Voluntas, est appetitus boni cum ratione. Voluntas aliquando accipitur pro potentia appetitiva rationali, id est, pro anima rationali: sic accipitur Lucæ 1. Et in terra pax hominibus. Ali quando pro actu appetitivo, scilicet pro ipso velle et nolle. Ali quando pro obiecto volito: ut ibi, Non mea, sed tua fiat voluntas.

Voluntas diuina quandoque accipitur pro diuina essentia, qua Deus vult aliquid fieri, et tunc signat diuinum beneplacitum, quod non est aliud quam Deus volens. Alio modo improprie, tropice vel metaphorice, pro aliquo habete aliquo modo ordinem ad diuinam voluntatem.

Voluntas Dei propriæ dicitur, quæ in ipso est, et ipsius essentia est.

Voluntas beneplaciti est duplex: voluntas antecedens, et consequens.

Voluntas Dei beneplaciti antecedens, non est aliquid in Deo à quacunq; distinctum voluntate Dei consequente: sed iste terminus voluntas antecedens, est terminus connotatiuus, significans Deum et creaturam. Est igitur voluntas antecedens, voluntas diuina dans alicui antecedens.

## DE LITERA V.

tia ad consequēdum aliquid cum præcepto &  
consilio exequendi.

Voluntas Dei beneplaciti consequens, est volun-  
tas diuina sibi efficaciter in esse alicuius com-  
placens, ipsum diligendo esse, aut producendo  
seu conseruando: hac voluntate immediate fer-  
tur in volitum, & sic dicitur Deus velle omne  
positiuū: sine hac voluntate nihil fieri in mun-  
do potest.

Voluntas signi, est creatura aliqua siue effectus  
diuine voluntatis, significans vel manifestans  
nobis diuinam voluntatem.

Voluntas naturalis accipitur tripliciter. Vno mo-  
do pro inclinatione naturali rei cuiuslibet ad  
suā propriā perfectionē. Secundo modo prout  
distinguitur contra potētiam supernaturalem:  
& sic voluntas naturalis siue in puris natura-  
libus existens, est voluntas non informata do-  
nis gratuitis. Tertio accipitur naturalis volū-  
tas, pro volūtate elicente vel recipiēte actum  
conformem inclinationi naturali, quæ est sem-  
per ad commodū, siue illum eliciat libere, siue  
necessariō, ad ostensionem commodi.

Voluntas rationalis dupliciter potest sumi. Vno  
modo vt includit essentialiter libertatem, id  
est, vt supponit pro intellectu appetitu, con-  
notando cum esse liberum ad opposita contra-  
dictorię,

## DE LITERA V.

dictoriē, ad bonum scilicet, & ad malum.  
Alio modo, ut includit libertatem, scilicet dū  
taxat præsupponit rationem cognoscētē, siue  
sit determinata ad sequendū rationis iudicium,  
siue non.

Voluntas absoluta est, quando aliquis actu vult  
aliquid, ut velle fornicari simpliciter.

Voluntas conditionata est, quando quis vult ali-  
quid in conditione.

Voluntas peccans, est voluntas mala, quae potest  
se habere ad rationem tripliciter: aut quia eli-  
cit actum peccati contra rationis dictamē siue  
rectum siue erroneum, sit ratio culpabilis siue  
non: aut elicit actum præter dictamen rationis,  
aut elicit actum secundū dictamen rationis er-  
rōre vincibili.

Voluntas inducitur persuasione, qua inclinatur  
ad aliquid, aut ad quod non inclinaretur, nisi  
persuasa.

Voluntas mutatur, quando fit de voluntate non  
volens, aut ē conuerso: ut cūm Deus de ama-  
tore rerum temporalium, facit contemptorem  
earum.

Voluntas cogitur, dum inuita aliquid vult, dum  
repugnante actu voluntatis sue ad oppositum  
compellitur.

Voluntas pietatis est, qua quis alteri cōpatitur:

## DE LITERA V.

& hac voluntate pietatis possumus quandoque  
velle oppositum illius quod Deus vult.

Voluntatē contingenter causare, est quod liberē  
sine omni variatione sibi vel alteri adueniēt,  
& non per cessationem alterius causæ, potest  
cessare ab actu in alio instanti.

Voluntarium dicitur, quod est secundū inclina-  
tionem voluntatis: & hoc duplex, ad agendum  
& patiendum.

Votum dicitur à voluntate, secundum quosdam,  
quasi à primo mouente rationem ad promitten-  
dum: vel secundum quosdam, à volendo.

Votū, est alicuius boni cum deliberatione facta  
promissio. Vel, votum est testificatio spontaneæ  
promissionis, quæ Deo & his quæ Dei sunt  
propriæ fieri debet.

Votum est duplex, quoddam est commune, quod  
dam singulare.

Votum commune, est illud quod omnes in bapti-  
smo faciunt, cùm spondent renunciare diabolo  
& pompis eius.

Votum singulare est, cùm aliquis sponte promit  
tit se seruaturū aliquod bonum, ad quod aliis  
non tenetur, quamvis post votū tale teneatur.

Votū continētiae est duplex, solēne & simplex.

Votum solenne est, quod duobus modis solenni-  
zatur, per sacri ordinis susceptionem, & per  
certæ

DE LITERA V.

Certæ regulæ professione, in manu eius qui potest recipere huiusmodi professionem.

Votum simplex est, quando quis aliter votet, quam secundum prædictos duos modos.

Votum publicum quodlibet dicitur, quod coram multis in publico fit: sed non quodlibet tale dici potest solenne.

Vouere, est sponte vel sancte aliquid Deo promittere.

Vsura, est mutuum lucrum ex mutuo principali intentum. Aliquando accipitur pro omni acceptione ultra sortem in mutuo, & sic non omnis vsura est illicita.

Vsus, est vis utendi rebus alienis, salua rerum substantia.

Vsus quidam ordinatus est respectu referibilis in aliud, tanquam in suum finem verum & debitum.

Vsus inordinatus est, quando aliquid acceptatur in facultatis voluntatem propter alitud minus bonū, siue contra dictam rationis rectæ, quod non est eius finis debitus: ut diligere Deum finaliter propter retributionē temporalem, aut propter seipsum finaliter &c.

Vxor dicitur mulier, postquam contraxit per verba de presenti, licet nondum consummaverit.

DE LITERA X.

XENODOCHIVM, est hospitium  
vel receptaculum pauperum & pere-  
grinorum.

DE LITERA Z.



ELOTYPIA, est ægritudo  
animi ex eo proueniens, quod ti-  
meas, ne adsit alteri, quod cum  
nemine velis haberè commune.

& oritur zelotypia ex amore non patiente con-  
sortium in re amata.

Zelus quandoq; sumitur pro feruēti dilectione,  
quandoq; pro inuidia, non æquiuocē, quia se-  
cundum procedit à primo : quandoq; odium,  
quandoq; imitationem, quandoque vehemens  
desiderium &c.

VOCABULARIE SCHOLAE  
STICAE DOCTRINÆ  
FINIS.